



P 4

~~P 4~~

EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

17-49.

SIGNAT. CLVCCCCXIII.

Primam & vltimam dissertatio-  
idem qui obtulit ceteras  
cum iam in Bibliotheca  
Volam. Diss. Veraplor. & it  
reperiant, excedit.



2. D. B. V!

36.  
33a

RECENTIORES  
DE  
BAPTISMATE  
CONTROVERSIAS,

AVSPICIIS

RECTORIS ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMI,  
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI,

D O M I N I

FRIDERICI AVGVSTI,

ELECTORATVS SAXON. HEREDIS ETC. ETC.

PRAESIDE

GOTTLIEB VVERNSDORFIO,

S.S. Theol. Doct. & Prof. Publ. nec non Alumn.

Saxon. Ephoro,

PRO LICENTIA

SVM MOS IN THEOLOGIA HONORES CONSEQVENDI,  
IN ACADEMIA VVITTEMBERGENSI,

D. XXVIII. FEBR. c1o 1o cc VIII.

H. L. 2. C.

VENTILABIT

M. CHRISTIANVS REVTERVS,

Hucdum verbi divini apud Nos Minister, iam vero S.S. Theol. & Metaph.  
in Gymnasio Servestano Prof. Publ. & ad Aedem S.S.

Trinitatis Pastor.

---

VITEMBERGAE, LITERIS CHRISTIANI GERDESII.

RECTORIS  
DE  
BAPTISMATE  
CONTRORSIAS

AVSTIENS  
RECTORIS ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMI  
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI

DOMINI  
FRIDERICI AVGVSTI  
ELECTORATVS SAXON. HEREDIS ETC. ETC.  
PRAESIDE

GOTTLIEB VERNSDORFIO  
S.S. Theol. Doct. & Publ. nec non Alumn.  
Saxon. Episcopo

PRO LICENTIA  
SERMONE THEOLOGICO HONORES CONSEQUENDI  
IN ACADEMIA THEOLOGICA  
D. XXVIII. FEBR. MDCC. LIII.

M. CHRISTIANVS REVTERVS  
Machum verbi causa apud Nos Minister, tum vero S.S. Theol. & Metaph.  
in Germaniae Sacramto Prol. Publ. & ad Aedem S.S.  
Theol. Prol.

WITAMBERGAE, LIBRIS CHRISTIANI GERDESII



338  
SERENISSIMO PRINCIPI AC

DOMINO,

DN. CAROLO  
VVILHELMO,

ANHALTINORVM PRINCIPI,  
SAXONIAE, ANGARIAE ET VVESTPHALIAE  
DVCI, ASCANIAE COMITI, SERVESTAE,  
BERENBURGI, IEVERAE ET  
KNIPHVSII

DOMINO,

AC RELIQA,

PRINCIPI VERE CHRISTIANO,  
PIO, IVSTO, ET MAGNANIMO,  
DOMINO MEO CLEMENTISSIMO

NIL PRAETERQVAM

LONGISSIMAM VITAM!

SERENISSIME PRINCEPS,  
DOMINE CLEMENTISSIME,

**H**Vmillima devotæ mentis submissione Celsis-  
simis Oculis Tuis dissertationem subjicio,  
quam a Theologo Vitembergenſi conſcrip-  
tam, publico Academiae loco, Majorum  
more, atque instituto, defendendam accepi. Expoſita  
eſt de Baptiſmo doctrina. Primis adeo in Religionis  
elementis initiisve ſimplicibus inhæſimus. Ne mireris,  
PRINCEPS PERSPICACISSIME. Tempus,  
vides, eſſe poſtremæ, nec ſatis mirandæ, confuſionis.  
Exædificant hodie, Architecſti qui ſibi videntur; ſed  
ubi nullum eſt collocatum fundamentum, ſua ponunt,  
aut, ſi quod collocatum eſt, diruit idem & ſubvertit ſpiri-  
tus obſcœna ſanctitate furens. Multus de ſalutis via  
clamor, ſed de ipſo certo limine, aut veris hujus viæ  
gradibus ſilent duces perverſi. Initiari illi volunt rudes,  
nec

necdum imbutos, sed inaugurandi media divinitus  
data, a Christo constituta, a Christianis, primis illis,  
summa semper religione habita, & tot tantisque elo-  
giis exornata, aut abominantur scelerate: aut super-  
be relinquunt impurioribus: aut velut ritum obso-  
letum, nec ullius efficaciam, levisime tractant. Ita  
medios inter Christianos, & eos quidem ætate Se-  
nes, sapientia Doctores, pietate Angelos, Magistros  
omnium, nulla re magis opus, nisi initiamenti, ut pri-  
ma fidei capita perfectissimi edoceantur, aut hæc ipsa  
a sanctis Christianorum furoribus vindicentur. Eo  
Supremorum neglecta de Sacris cura, & Mediorum  
decori inter homines observandi studium, & Infimo-  
rum levitas, & Separatorum malefana emendandi di-  
sciplina rem Christianam adduxit. Doles, quod scio,  
perturbationem hanc & *παραλειψαν*, **PRINCEPS**  
**AC DOMINE CHRISTIANISSIME**, sed  
eadem quoque ut a Regionibus **TUIS** & Templis &  
Scholis, & domibus, & animis arceatur, longissime-  
que reprimatur, summa & incredibili prorsus sollicitu-  
dine curas. Neque id consiliis tantum, & serio man-  
dantis imperio, contendis efficere, sed inusitato & raro  
admodum **DIVINI PRINCIPIS** exemplo præ-  
luces Tuis. Hoc quotidie fere intuentur singuli, & devo-  
tum Religionis cultum, tum sinceram nec fucatam pieta-  
tem conspiciunt, sed illam deprehendunt, quæ fidem ex  
patefactæ veritatis cognitione ortam, partem & causam

lib. 2. Titul. Lic. et Lib. de Metaphis. Prof. Publ. ):( 2 pri-

primam & præcipuam ponit, & Scripturarum, principiorum ac causarum, diligenti indagatione stabilitur ac confirmatur. Audis, evolvis, consignas, peruestigas, agis ipse, & colis Deum. Aperte hæc persequeris, ut videant Tui, atque una omnes jucundaque animorum in vero consensione imitentur. Ita ergo consistat pura hæc, nec tenebris commixta veritatis lux, quæ in **TE, PRINCIPVM PISSIME**, atque in Serenissima Conjuge, incomparabili illa Heroïna, amplis coruscant radiis, & in Serenissimo Anhaltinorum Principe Hærede, **DN. JO. AVGVSTO**, ejusdemque Sanctissimi moris Conjuge resplendescit: tum in Serenissimis Fratribus **TVIS, DN. ANTHONIO GVNTHERO, & DN. JO. ADOLPHO** mire fulget: in relictis tandem florentissimæ Juventutis **PRINCIPIBVS DORENBVRGENSIBVS** pleno in dies jubare astringit & efflorescit. Summa votorum est, ut omnibus prosperitatem integram, **TIBI, GRATIOSISSIME PRINCEPS**, longissimam vitam Deus largiatur, quod perpetuo comprecari nunquam desistet

## SERENITATI TVAE

& precibus & obsequio devinctissimus  
subjectissimusque

**CHRISTIANVS REVERTERVS,**

S. S. Theol. Lic. ejusdemque & Metaphysicæ Prof. Publ.  
juxta & Pastor Servestanus.





Nnus est, & amplius, quod in publicum deducturi quendam Ordinis Nostri Candidatum, doctrinam de *Sacramento Cœna*, adversus cavillationes Strimesianas, defendimus. Nunc, ubi eadem de causa est commentandum aliquid, quod loco *dissertationis inauguralis* proponi possit, ordine inverso, alterum Novi fœderis sacramentum, quod *Baptismum* vocamus, a recentiorum quorundam opinionibus, maxime vero fanaticorum, qui nunc per Germaniam grassantur, insidiis ac corruptelis, vindicatum imus. Etsi enim Reformati hac etiam in doctrina graves, periculique plenos errores, foveant, ac pertinaciter defendant; tamen, si cum fanaticis nostri temporis comparentur, multo videri poterant mitius errare, quod hi capitalem hunc, & ad fundamenta fidei pertinentem articulum ita infestant, lacerant, & corrumpunt, ut, quod in progressu constabit, nihil omnino eorum, quæ modocunque de Baptismo tradi, ac inculcari solent, sanum ac integrum relinquatur. Quod idem cum Eisdem adversus omnia Catecheseos nostræ capita non modo cogitare, sed & moliri, & suscipere depre-

deprehendam, constitutum cum animo meo habeo, ubi Deus vitam, otiumque indulerit, singula illa ab istorum hominum corruptelis & cavillationibus vindicare. Quo pacto, etsi forsan multorum in me invidiam provocabo, cum hoc tempore non, qui prodigiosos errores disseminant, sed, qui disseminatos detegunt ac rejiciunt, male audiant, & pro *rixarum auctoribus*, ac *hereticis* habeantur, id tamen qualicumque opera me consecuturum confido, ut, si non omnes illis ab erroribus retraham, aliquos saltem, per Dei gratiam, adversus eos præmuniam, mihi que adeo meæque conscientiae fati faciam.

§. I. Ac primo quidem, quibus in hoc mysterium furis stimulentur fanatici, vel hoc uno indicio cognosci potest, quod eidem non modo de *origine*, *dignitate*, & *efficacia*, sed de ipsa etiam *sede*, *ordine*, ac *classe* litem movent.

§. II. Nam quum omnia, quæ de Deo rebusque divinis tradita sunt in scripturis, ad duo præcipue *capita* soleant revocari, *Legem* nimirum, & *Evangelium*; ad posterius sacramenta, qua V. qua N. Testamenti, magno hucdum doctorum, ac interpretum consensu relata sunt. Gratia enim Dei, quam illa offerunt, conferunt ac obsignant, non a *lege*, quippe *qua iram operatur*, Rom. IV. 15. & omnibus sine discrimine reatum mortis & æternæ damnationis denuntiat, Deut. XXVII. 26. Gal. III. 13. sed *Evangelio* est speranda, utpote quod dicitur *verbum gratiæ*, Jer. XXXIII. 14. Act. XIV. 3. Act. XX. 24. *imber gratiæ*, Psalm. LXVIII. 8. *verbum consolationis*, Psalm. XCIV. 19. *verbum pacis*, Eph. II. 17. His autem temporibus ut nulla tam vel antiqua, vel solida, & explorata veritas est, quæ non a fanaticis convellatur, ita & illam, quod sacramenta ad Evangelium debeant referri, vocant in dubium.

§. III.

§. III. Ad *Legem* enim Sacramentum Baptismi omnes illi referunt, quibus demum cunque coloribus alloqui pingant sententiam, qui illius originem, vel a lege *ceremoniali*, & variis lotionibus per Mosen præceptis, vel a *forensi*, & ritu quodam inaugurandi novitios, deducunt, quorum fat magnum hoc tempore esse numerum, inferius ostendetur.

§. IV. Hoc vel unius Democriti exemplo, testimonioque doceri potest, qui postquam *im Glaubens-Bekänntniß*, Art. VIII. p. 46. posuerat: *Die Tauffe sey eine Ordnung und Ceremonie in dem äusserlichen Kirch-Wesen - - die aus den Jüden ibren Ubrsprung habe, von Christo bestätigt und beybehalten &c.* mox p. 47. scribit: *Die Tauffe geböre nicht zum Evangelio*, subjungitque causam p. ead. *Christus sey unter dem Gesetz sowohl, und aus einerley Absicht, getaufft, als beschnitten worden.* Quæ more suo a Tremulis mutuatus fuit fanaticus, quorum Princeps Barclajus in *Apol. ad T. II. n. 5. p. 272.* nec non B. F. in *Copia Ep. p. 5.* scribunt: *Joannis Baptisum*, (quem a nostro quoad substantiam, nihil diversum fuisse novimus) *ad Legem ceremonialem spectasse, & fuisse figuram veri baptisimi*, Conf. celeberr. D. Schelguig. in *Quac. p. 387.*

§. V. Quotquot igitur vel a *lotionibus Mosaicis*, vel a *Baptismo Profelytorum* arcessunt, hi, per imprudentiam saltem, & *oblique*, illi patrocinantur sententiæ, quod Baptismus pertineat ad *Legem*. Ex quo postea sequitur, quod, quemadmodum nec per rationes Mosaicas, nec per ullum quempiam ritum forenses, homines repurgari a peccatis, & spiritualiter renasci potuerunt, ita etiam Baptismo virtus regenerandi homines, & auferendi reatum peccati, adscribi non debeat. Sic error errorem progenerat.

§. VI. Et quidem quod Sacramentum Baptismi, minime omnium pro *ceremonia*, vel *ritu* tantum *externo*, debeat

reputari, suo loco prolixius ostendetur. Ceterum, quod idem illud non ad *Legem*, sed ad *Evangelium* pertineat, rationibus non contemnendis probari potest.

§. VII. Primo enim 1.) id patet e *Sacramenti* hujus institutione, Matth. XXVIII. 29. *Euntes in mundum uniuersum, docete omnes gentes, baptisantes eos in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti.* Ex quo inferimus: *Ad quam Verbi Dei partem spectat doctrina ab Apostolis, qua talibus, proponenda, ad eandem quoque partem pertinet Baptismus, ab iisdem administrandus.* Coniunguntur enim hæc duo, nec ratio apparet, cur prius, inter mandata, debeat ad *Evangelium*, posterius ad *Legem* referri, cum potius persuasissimum habeamus, non alio consilio Deum instituisse Baptismum, quam, ut gratiam in Evangelio prædicato ab Apostolis oblatam hominibus applicaret; *Jam vero doctrina ab Apostolis, qua talibus, proponenda haud dubie pertinet ad Evangelium, E. & Baptismus.*

§. VIII. Excipit h. l. Democritus: *Paulum negare, quod missus sit ad baptisandum, sed ad prædicandum, 1. Cor. I. 24.* Sed urgemus  $\alpha$ ) *verba institutionis*, in quibus mandata *docendi, & baptisandi*, manifestissime coniunguntur. Urgemus  $\beta$ ) *mandati executionem*, siquidem Petrus, Philippus, & alii, subinde baptisasse leguntur. Et Paulus ipse eodem illo loco se integras familias sanctissimo illo lavacro abluisse fatetur. Verba igitur Apostoli, negantis, *missum se esse ad baptisandum*, non *absolute*, verum *comparate*, accipi debent, quod nempe *magis* missus sit ad prædicandum, quam ad baptisandum, quoniam actus baptisandi etiam ab aliis, & pari quidem successu & efficacia, poterat institui, non perinde prædicatio verbi, ad quam Paulus singularibus, & excellentibus donis instructus erat.

§. IX. Probamus 2.) ex *connexa promissione.* Additur enim,

enim, qui crediderit & baptisatus fuerit, saluus erit. Ex quo argumentamur: *Cuiusque annexa est promissio de salute, illud spectat ad Evangelium.* Ratio, quia post lapsum salus non est ex Lege, sed Evangelio, *Deut. XXVII. 26. Rom. IV. 15. Gal. III. 21. Rom. X. 12. Eph. II. 8.* quod est potentia ad salutem omni credenti *Rom. I. 16.* & stultitia prædicationis salvos faciens credentes, *1. Cor. I. 21.* Atqui Baptismo annexa est promissio salutaris. E.

§. X. Probamus 3.) e *finis consideratione.* Institutus enim est Baptismus, & dispensatur, ob *remissionem peccatorum.* Joannes enim prædicabat baptismum poenitentiae eis ἀφεσιν ἀμαρτιῶν *Luc. III. 3.* conf. *Zach. XIII. 1. & Ez. XXXVI. 25. Psalm. XXVIII. 10.*

§. XI. Excipit Democritus: *Christum ipsum & sub Legem, & eadem de causa, non modo circumcisum, sed etiam baptisatum, fuisse.* Sententia Fanatici huc redit: *Sub V. fœdere obtinuisse & Circumcisionem, & Baptismum.* Utrumque fuisse Ceremoniam, & signum: *illam quidem necessaria peccati erupturi, & pravorum affectuum, coercionis ac refrenationis: illum vero debite expiationis, ac repurgationis a peccato. Utrumque eadem de causa suscepisse Christum. Uti proinde Circumcisio pertineat ad Legem, ita & Baptismus.*

§. XII. Multa vero hic commulantur falsa, & confunduntur distincta, Primo enim 1.) meminisse debebat, quod, quando quæritur, ad quam *classem* hoc illudve pertineat, quæstio sit de *Lege*, non *Ceremoniali*, hujus enim partes, pro ut *umbram rerum futurarum* continent, ita non ad *Legem*, sed ad *Evangelium* pertinent; Verum de *Morali*, cui immediate, & proxime opponitur Evangelium. Ergo si vel maxime evicerit, utrumque & Circumcisionem, & Baptismum fuisse ceremonias, non tamen propterea sequeretur, easdem ad *Legem*, non vero ad *Evangelium* pertinere, ob rationem datam.

datam. 2.) Circumcisio minime omnium eodem loco habenda est, quo *Baptismus Judaicus*. Illa enim est & divinitus instituta, & cum annexa promissione gratiæ conjuncta: Contra vero lotiones *Mosaica* nullam *promissionem* gratiæ, *Pharisaica* autem, quales tempore Christi obtinuisse constat, ne quidem *mandatum* habuerunt. 3.) *Tò sub lege*, phrasi Scripturæ, idem est, quod *sub reatu culpe ac pœna Legalis* esse, & ab utraque premi *Rom. VI. 14. 15.* Democrito autem *tò sub lege* idem est, quod *sub veteri fœdere*. Quo ipso autem nervum omnem suæ ipsius illationi incidit. Ita enim, quantum assequor, disputat; *si Christus sub V. T. fuit eadem de causa & circumciscus, & baptisatus, sequitur, quod Baptismus ad Legem perinde, ut Circumcisio spectet.* Atqui non omnia sunt referenda ad *Legem*, quæ obtinuerunt in V. Testamento. Nam & *Evangelium* sub eodem obtinuit, nisi dicere velimus, omnibus promiscue hominibus in V. T. perendum fuisse, cum non sit *lex data*, quæ possit justificare & salvare, *Gal. III. 21.* Nego igitur, vel ipsam *Circumcisionem* pertinuisse ad *Legem*, si enim esset ad eam referenda, pertineret vel ad *Legem Moralem*, vel *Ceremonialem*, vel *forensam*: Atqui non ad *Moralem*, quia hæc jam dum in Paradiso, & temporibus antediluvianis, obtinuit, quibus ignorata est *Circumcisio*: Et quemadmodum *Lex Moralis* omnes obligat etiamnum, ita sequeretur, nos omnes adhuc circumcisci debere, quod negat *Apostolus* tota *Epistola ad Galatas* scripta. Non etiam ad *forensam*, quia hæc supponit *Rempubl. Judaicam*, cujusmodi eo tempore non dabatur, quo instituebatur *Circumcisio*. Non denique ad *Ceremonialem*. Hæc enim demum est promulgata in deserto, & licet aliquid *Ceremoniale* *Circumcisio* includat, tamen non est nuda ceremonia, sed talis, quæ verbo Dei, & promissionibus divinis, est convestita. *Circumcisio* ergo uti *Sacramentum* fuit V. T. ita ad  
Evange-

Evangelium non Legem pertinebat, unde & illius memoria se solabantur, & erigebant Israelitæ *1. Sam. XIV. 6.* quod fieri, si ad *Legem*, quippe quæ *iram operatur*, spectaret, non potuisset. 4.) Denique & illud falsum est: Christum eadem de causa fuisse & *circumcisum*, & *baptisatum*. Circumcisus enim est cum aliis, tum hac maxime de causa, ut se solenniter obligaret ad totam Legem pro nobis implendam. Omnis enim, qui circumciditur, *debitor est totius legis servanda Gal. V. 3.* Hoc ipso igitur, quod Christus se voluit circumcidi, factus est debitor universæ legis. Debitor autem vel *suo*, vel *alieno*, ac fidejussorio nomine. Non *suo*, quia est dominus Legis *Matth. XII. 8.* nec erat *ὑπὸ νόμῳ*, sed *ὑπὸ νόμου* datus; Ergo *alieno*, adeoque sub legem datus, ut eos, qui sub lege erant redimeret *Gal. IV. 5.* Baptisatus autem est, non ut se obligaret ad legem observandam, aut nos a peccatis mundandos; sed ut ejusdem necessitatem innueret, suoque nobis exemplo ostenderet, quanto in pretio habenda essent omnia divinitus instituta, utut leviuscula videantur, denique ut Baptisatum Joannis non ex *hominibus* sed *de cælo* esse significaret. Concludimus ergo, Baptisatum non ad *Legem*, sed ad *Evangelium* pertinere.

§. XIII. Nunc etiam de *nomine tituloque* movetur controversia, dum negant, Baptisatum dici *Sacramentum*, vel etiam signum, debere. Ita *Brüskenius* in Aula Comitum Offenbacensis olim Ecclesiastes, *von der wahren Christen-Tauffe*, ed. Ao. 1698. p. 2. §. 4. scribit: *Wir wollen die Tauffe weder Sacrament, noch Zeichen, noch Siegel nennen, weil dieses lauter Nahmen und Wörter sind, die wir in der heiligen Schrift nicht ausdrücklich finden, sondern theils von Menschen erdacht, theils von andern Dingen auf die Tauffe gezogen sind &c.* Neque verò, quod ad nomen *Sacramenti* attinet, nova isthac opinio est. Nam & *Tremuli* habito

B

Ham-

Hamburgi cum Ministris Ecclesiae nostratis colloquio, improbarunt vocem, caufati: *Das Wort Sacrament stehe nicht in der Bibel, und komme nur aus dem Pabstthum her. Vid. Hamburg. im Quacker-Greuel c. V. p. m. so.* Quo respexisse videtur J. F. Kleinus Pietista Argentoratensis, quando in suis ad Amicum literis scripsit: *Tauff und Abendmahl halten, sind Sacramenta des Antichrists, und nicht Christi, ob man ihnen schon den heiligen Nahmen noch immer läßt, und davor eifert &c.* apud B. Zentgraf. *in Bericht von den Pietisten* p. 59, & 225. Imo vero jam D. Lutheri tempore id nominis Carolostadius impugnavit, cum Coelestibus, ut dicebantur, Prophetis. Quibus vero graviter hanc in sententiam respondit Lutherus: *Gott hat es nicht, inquit, ein Sacrament genennet, noch geboten, ein Sacrament zu nennen. Sage mir aber wiederum, wo hat ers auch verboten? Huy doch nur einen Titul, wenn denn? Wer hat denn dir die Macht gegeben, zuverbieten, was Gott nicht verboten? Wie bistu so frevel, daß du so grosse Sünde machest, da Gott keine haben will? Bistu nicht der rechte Seelen-Mörder, der sich an Gottes statt setzet über uns, nimmet uns unsere Christliche Freyheit, und wirfft die Gewissen unter sich &c. Solte ich meinen HErrn JESUM CHRISTUM nicht nennen mögen mit einem Nahmen, der nicht in der Schrift stünde? Wie wenn ich ihn hiesse meines Hertzens - Crone &c.* Vid. T. III. Jen. Germ. P. II. *Wider die Himmlischen Propheten.* f. 62.

§. XIV. Et omnino nimis morosum judicium videtur, Sacramenti vocem hac una de causa improbare, quia in Scriptura conceptis verbis non legitur, quod Baptismus & Coena Domini sunt Sacramenta. Christus enim jussit Apostolos, horumque successores docere verbum & administrare Baptismum *Mattb. XXVIII. 18.* Hac ipsa vero de causa dicuntur Oeconomi *mysteriorum* divinorum *1. Cor. IV. 1.* Nunc cum

ea,



ea, quæ Græcis *μυστήρια* appellantur, Latinis *Sacramenta* dicantur, & Baptisimum mysteriorum nomine comprehendi, negari non possit, *quæ, rogo, isthac improbitas est, dixerim cum Calvino Inst. L. I. c. 13. n. 54. improbare verba, quæ non aliud explicant, quam quod Scripturis traditum, consignatumque est?* Recte D. *Holzhusius*, de *Sacr. in genere n. 30. p. 10.* cum adversus quosdam vocabuli otores non male disputasset: *Nos, inquit, hoc nomen, non temere eliminandum, sed retinendum esse putamus, quia non modo Latinum est, sed quia etiam in versione vulgata extat, atque ab antiquissimis Doctoribus usurpatum est.*

S. XV. Nam, quod obijciunt, id nominis esse ab hominibus excogitatum, & e Papatu residuum, discere hic velim initio, si nomina promiscue omnia ab hominibus imposita, vel etiam excogitata, debeant improbari, quid tandem de vocabulis *excentrationis, deificationis, colliquationis, annihilationis, evacuationis, resignationis*, aliisque id genus, quæ magno numero in fanaticorum scriptis, apparent, sit statuendum? *Arnoldus de Theol. Myst. c. V. n. 20. 21. p. 77.* ita respondet: *sicuti cuilibet doctentium, vel Magistrorum, in scientia sua, tales, qui arident terminos, & descriptiones, quique rei maxime proprii, & idonei sunt, adhibere licet; sic & Mystici hoc jure utuntur in propositionibus suis.* Et mox: *Omnis nominum & verborum dignitas, & eminentia in eo consistit, ut rei, vel substantie ipsius naturam optime expriment.* Id ipsum vero cum de nomine *Sacramenti* permississimum habeamus, cur, quam ipsi sibi sumunt licentiam, nobis denegant? Deinceps nomen *Sacramenti* non usque adeo peregrinum esse sacris in literis, supra docuimus. Quod vero ex Papatu id esse residuum clamant, eo suam partim *malitiam*, partim *inscitiam* produnt. *Malitiam* quidem, dum id omne, quod improbant, ex regno Anti-Christi deri-

vant, perinde ut olim nostri a *Caelestibus Prophetis* infimulabantur Papisimi, quod per tumultum imagines templis ejicere detrectarant, de quo *B. Lutherus* queritur *T. III. Jen. f. 45. & 53.* Et credo his temporibus *Thomafium*, cum affectis suis, Deum ipsum, Scripturas, & totum Ministerium, velut e Papatu residua, proscripturos esse, si possent. Adeo nunc id omne *Papisticum* dicitur, quod ad fanaticorum palatum non est. *Inscitiam* vero & ignorationem, quod vocem *Sacramentum* e Papatu derivant, quam tamen iis jam seculis receptam fuisse in Ecclesia constat, quibus ne cogitatum quidem est de Papatu.

§. XVI. Præterquam enim, quod *Sacramenti* nomen a Patribus quibuslibet rebus divinitus revelatis, nobisque propositis, ac mandatis, nonnunquam tribuitur, unde *Sacramentum Trinitatis*, *Sacramentum Dispositionis*, *Sacramentum Traditionis*, aliaque id genus, apud *Tertullianum*, *Cyprianum* aliosque, frequenter occurrunt; sigillatim etiam *Baptismus*, & *Coena Domini* hoc titulo insigniuntur veteribus. *Tertullianus* Patrum Latina in Ecclesia antiquissimus, quem seculo jamdum II. imperantibus Severo, & Antonio Geta floruisse constat, de *Præscr. adv. heret. c. XL. f. 216. ed. Prior. Diaboli*, inquit, *partes sunt, intervertendi veritatem, qui ipsas quoque res NB. Sacramentorum divinorum idolorum mysteriis emulatur. TINGIT & ipse quosdam, utique credentes, & fideles suos: expositionem* (id est depositionem, more loquendi Patribus usitato. Nam & *Lactantius de divino prem. L. VII. c. 5. p. m. 545. edit. Lugd. Homo*, inquit, *caelesti lavacro purificatus, exponit infantiam cum omni labe vitæ prioris, delictorum de lavacro repromittit, & si adhuc memini, Mithra signat illic in frontibus milites suos: Celebrat & panis oblationem &c.* Insignis de hoc nomine locus est apud *Cyprianum*, quem *Sec III.* adeoque diu ante ortum Papatum vixisse

vixisse meminimus in *Epist. LXXI. f. 171. Parum, inquit, est iis,* (qui ad Nos atque ad Ecclesiam venerunt,) *manum imponere ad accipiendum Spiritum Sanctum, nisi accipiant & Ecclesie baptismum. Tunc enim demum plene sanctificari, & esse Dei Filii possunt, si NB. Sacramento utroque nascantur, cum scriptum sit: nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu &c.* Sacram Cœnam vero idem in *Epist. LXIII. f. 100.* quæ inscribitur *de Sacramento Domini Calicis,* non semel hoc nomine appellat. Augustinus *L. de Fide & OO. c. 6. An usque adeo dissimulamus, inquit, a sensibus nostris, ut vel nos ipsos non recordemur, quam fuerimus attenti, atque solliciti, quid Nobis praeceperent, a quibus catechisabamur, cum FONTIS illius SACRAMENTA peteremus &c.* Idem *de Doctr. Christ. L. II. 3. p. m. 68.* S. Cœnam nominat *Sacramentum corporis Christi.* Et *Lactantius L. IV. 17. p. m. 305.* Sabbatis vacare, ac circumcidi, *Sacramenta Judaica religionis* dicit. Denique *Hilarius in Psalm. LXVII.* loquens de Eunucho, *Act. VIII. Ipse, inquit, Baptismi gratiam sibi postulat, dicens: ecce aqua! quid prohibet me baptisari? Sacramentum ipsum Baptismi adeo impatientis desiderii cupiditate preveniens &c.* Sat crebro igitur *Sacramenti* nomen apud vetustissimos quosque, & maximæ auctoritatis Doctores legitur, ut adeo citra absurditatem illud e Papatu deducere nequeamus.

§. XVII. Idem *Brüskenius* negat, nomina *signi,* vel *sigilli* Baptismo tribui debere, cum pariter sint ab hominibus inventa. Etsi vero, quid ad ista sit respondendum, ex supra dictis constare possit, addimus tamen, Circumcisionem, cujus in locum successit Baptismus, *Col. II. 11. 12.* utroque, & *signi* & *sigilli,* nomine appellari *Rom. IV. 11.* Dicitur enim *σημεῖον περιτομῆς,* non quod *περιτομῆς* fuerit subjectum *inhabitionis,* sed *predicationis,* hoc sensu, ipsa Circumcisio fuit signum, fere ut Nos aliquando dicere solemus, *Sacramentum Bapti-*

*smi*, non quod aliud sit Baptismus, aliud Sacramentum Ba-  
 ptismi, sed quia unum idemque & Baptismus est, & Sacra-  
 mentum. Sic etiam apud Paulum dicitur signum Circumci-  
 sionis, quia unum idemque & Circumcisio erat & signum.  
 Similem locutionem invenias *Matth. XII. 39. non dabitur  
 aliud, nisi signum Jona*, non quod signum ab ipso Jona di-  
 versum sit, sed quod signum ipse sit Jonas, quatenus elapso  
 triduo e faucibus ceti prodiit. Eadem vero Circumcisio ab  
 Apostolo dicitur *σφραγίς*, vel signaculum, quoniam, in confir-  
 mationem justitiæ per fidem imputata, Abrahamus eandem  
 acceperat. Jam, cum Circumcisio ab ipso Spiritu Sancto &  
*signum & sigillum* dicatur, Baptismus autem in illius locum  
 successerit, quod infra copiosius ostendetur, utroque etiam  
 nomine rectissime veniat, cum Deus per eundem & testetur,  
 se nos recipere in foedus gratiæ, & gratiam per illum colla-  
 tam obsignet simul, ac luculenter confirmet; quis dubitave-  
 rit, Baptismum & *signum & sigillum* commodissime nomi-  
 nari? Veteres sane *sigilli* eum titulo sapissime ornarunt, &  
 recte observavit *Casaubonus c. Baron. pag. 479. Sacramento-  
 rum N. T. nullum esse commune nomen, nisi forte σφραγίδα,  
 vel signaculum*, etsi hoc ipsum a Græcis soli prope Circumci-  
 sioni & Baptismo tribuitur. Itaque Baptismus Eusebio *de V.  
 Const. M. f. 155.* dicitur, *σφραγίς ἀθανάτοποιός: σφράγισμα  
 σωτήριον: Casario Qu. XII. p. 26. σφραγίς τῆς μυστικῆς τελειό-  
 τητος: Basilio M. in exhort. ad Bapt. p. 481. σφραγίς ἀνεπιχεί-  
 ρητος*, sigillum manu factum, perinde ut Circumcisio ab Apo-  
 stolo *Col. II. 11. περιτομή ἀχειροποίητος*, nominatur. Clemens  
 Alexandrinus *Strom. L. II. f. 379. σφραγίδα τῆ κηρύγματος*,  
 sigillum prædicationis, vel potius prædicati Evangelii: Epiphani-  
 us *de ponderibus p. 537. τὴν ἐν χριστῷ σφραγίδα*, nuncupat.  
 Cur hoc nomine veniat, *Gregorius Naz. ostendit Orat. XL. f.  
 639. σφραγίδα*, inquit, *καλεῖται, ὡς συντήρησι, καὶ τῆς δεσποτείας  
 σημείω-*

σημασθησιν, *sigillum* vocamus, quia *conservatio* est, & *dominationis indicium*. Plures dedimus causas in *dissert. de Contrist. Spir. Obsign. ad Eph. IV. 30.* quibus nunc illud ex Chrysofomi *Homil. III. in Ep. II. ad Cor. f. 566.* adjicimus, *Baptismum dici σφραγίδα, quod per eundem Christiani, ceu nota quadam militari, ab hostibus discernantur.* Baptismum igitur & *signum*, & *sigillum* rectissime nominari, non crediderim restare dubitandi causas. Quo autem sensu id fiat, supra jam exposuimus.

s. XVIII. Jam id quaeritur III.) numne sit *primum, omnino, ac in solidum institutus a Deo?* Quod ipsum etsi a nemine vere Christiano videatur posse in dubium vocari, sapientibus tamen judicandum relinquo, annon veritati hujus sententiae detrahant, qui ritus Judaicos degenerasse in Christianos, & Sacramentum Baptismi, ad imitationem Baptismi Profelytorum, institutum fingunt a Christo? Cui quidem opinioni his maxime temporibus, tam multi, tamque eruditi viri applaudunt, ut prope simplicitatis ac incertitiae suspicionem de se excitaturus esse videatur, qui hoc ipsum negare audeat, & veritatem tueri. Hoc unum me dissentientem solatur, quod haec opinio veteribus, *Graecis, Latinis, Scholasticis* denique, & emendatam per Lutherum doctrinam secutis doctoribus per *XVI.* omnino secula ignorata fuit.

s. XIX. Volckmeyerus quidem, sanctulus aliquis, ut est illud hominum genus naviter impudens, in *observ. c. Gözium pro Arnaldo p. 562.* audet hic jactare *Lutheri* Nostri consensum, qui in *Post. Eccles. P. II. super Dom. Quasmod.* & *Baptismum Profelytorum* statuerit, & ab eodem Christi Baptismum derivavit. Sed enim inspicienti concionem, nec vola, nec vestigium illius somnii apparet, nisi quis forte huc trahere velit verba, quibus lotionum *Mosaicarum, & Judaicarum, imo Turcicarum* meminit, f. 34. *Diese Tauffe, inquit, bat er durch*  
Johan-

Johannem den Täufer angefangen, und darum genennet zum Unterscheid der alten Mosaischen, und Jüdischen Tauffe, und Badens, eine Tauffe zur Busse und Vergebung der Sünden &c. Et mox: Es muß allda nicht schlecht lauter Wasser seyn, sonst kündigt es auch nicht mehr thun, denn ander Wasser-Bad, oder Jüdisch, und Türckisch Tauffen und Baden, &c. Quæ verba tantum abest, ut Lutherum a Baptismo Profelytorum Sacramentum Baptismi derivasse ostendat, ut ne quidem evincant, eum quendam Profelytorum Baptisimum credidisse, cum de Mosaicis, & Judaicis lotionibus manifesto loquatur, iisdemque Baptisimum nostrum opponat. Conceptis enim verbis dicit: *Christus hat die Tauffe durch Johannem NB. angefangen.* Idem: *Christus hat NB. viel ein ander Bad angerichtet, denn Moses mit dem alten Testament, welcher auch kommen ist, mit mancherley Gesetzen von Wasser und Baden &c.* Et mox: *Christus ist kommen mit einem NB. neuen Wasser-Bad und Tauffe &c.* Porro: *Es heißet nicht ein gemein Wasser-Bad, wie Mose, oder der Bader geben kan, sondern eine heilsame Blut-Tauffe, oder Blut-Badt, &c.*

§. XX. Ut ut igitur doctrinam de Baptismo Profelytorum e Mischna, Maimonide, & aliis Ebræorum Magistris, haustam a Viris inter Christianos doctissimis, & imprimis a Jo. Seldeno de *J. N. & G. c. 2. seq. f. 138. seq.* & *L. de success. P. I. c. 26. f. 92. seq.* & Jo. Buxdorfio *F. in Lex. Talmud. voc. ger p. 407.* traditam, excultamque esse non nesciam; in hujus tamen locum successisse Baptisimum Nostrum, eundemque ex *non-Sacramentali* evasisse *Sacramentalem*, & singulari quadam virtute armatum, ante Sec. XVII. non temere quenquam docere memini. Nec enim fas esse arbitrabantur, ultimam ejus originem ad Judaïsmum referre, quod hucdum solius Servatoris institutioni ac beneficio deberi fuisset creditum. Postea vero quam, instituta unius cum altero comparatione, nonnulla depre-

deprehensa fuit convenientia, quidam eo prolapsi sunt opinionis, ut Baptismum Judaicum reapse a Christo retentum, & sub foedere N. continuatum, ampliore tamen virtute & auctoritate instructum, putarent. Hoc vel primus, vel certe inter primos, docuit *H. Grotius*, cujus cum Judæis collusionem pridem eruditi notarunt. Hic, ut in *Ep. CLIV.* quæ est ad *Cordesium*, p. m. 331. omnia Christianorum, ut ipse loquitur, Sacramenta, utpote *Ordinationis, Unctionis, Confirmationis, Sacerdotalis Benedictionis &c.* ita & *Baptismum* ab Ebræis derivat. Nec aliter *M. Ruarus* statuit *Cent. I. Ep. 31. seq.* eo, quod apparet, consilio, ut tanto facilius Baptismum, *inanem esse ceremoniam* demonstraret. Hos alii sunt secuti, utpote *Hottingerus* in *Thef. Philos. L. I. c. 1. Sect. 3. p. 17.* *Ligtfootus* ad cap. III. *Matth. S. 41. & Jac. Altingius* *Diss. Philol. VII. de Profelytis Sect. 24. p. 250.* qui Baptismum V. T. Baptismo N. T. locum cessione scribit: nec non *Goodwin*, qui in *Mose & Aaron L. I. c. 3. p. 18.* non dubitat statuere, quod Baptismus initiationis apud Judæos *licet Sacramentalis non fuerit, viguerit tamen, usque dum Christus illum in Sacramentalem conderterit.* Consentiant *Reitzius* in *Notis ad eundem*, nec non *Caveus* in *Antiquit. Apostol. p. 130.* edit. Germ. in *4. H. Witfius* in *Miscell. T. II. Diss. XII. p. 529.* & nuper admodum *Ant. van Dalen* in *Hist. Bapt. qui p. 342.* scribit: *Ut origo Eucharistia a Judæis petenda est; ita & Baptismus a Judaismo repetendus est.* Et *D. Barth. Holtzfusus* *pec. Dissert. de Baptismo Judaico-Christiano Ao. 1702.* eo usque progressus fuit, ut materiam ei cœlestem sanguinem Christi typicum assignaret. *Braunius* idem docet de *Fœderibus*, pluresque alii apud Reformatos, a quibus ut primum exclusa fere hæc opinio fuit, ita etiam præcipue fota, & incrustata videtur.

§. XXI. E. Nostri, utut non defuerint, qui Baptismi Profelytorum suis in scriptis fecerint mentionem, non tamen

C

quis-

quisquam facile Baptismi nostri originem ad illum referre ausus fuit. Nam & eruditiss. *Slevogtus in Diss. de Profelytis P. II. Diss. Acad. p. 939.* etsi Apostolum *Eph. IV. 22. seq.* ad regenerationem Profelytorum respexisse putet, pro sua tamen ingenii perspicacia, regenerationem Judaicam, a regeneratione spirituali, & nostra plurimum differre *S. XXVII.* diligenter monet. Paulo securius loquitur *B. Jo. B. Carpz. Ebr. L. t. t.* apud Lips. Professor, qui in Schickardi jus Regium erudite commentatus, p. 330. statuit: *Christum posthabita circumcissione, tunc abroganda, ejus conexum, i. e. Baptismum, retinuisse, & in Sacramentum in Ecclesiam N. T. introductorium, mutandis tamen mutatis, novisque, qua placebant, formulis superadditis promovisse, ne nova plane, & haectenus Judaeis inaudita ceremonia institueretur.* Nec dissentire videtur *Cl. Jo. Andr. Danzius in erud. Dissert. de B. Profel. S. 25. p. 39.* dum negat, originem Baptismi derivandam esse a Joanne, sed potius a Baptismo initiationis in deserto *Ex. XIX.* Et ut his temporibus speciosa fere solidis, nova veteribus, ingeniosa simplicibus, anteferuntur; ita etiam hinc inde surgunt Doctores inter publicos, eam qui approbent, laudentque sententiam. Quorum in numero, post *Spenerum*, colloco *D. Jo. Fr. Buddeum*, qui in *Observ. Theol. de Padobaptismo* quas *Ant. van Dalen* opposuit *S. VIII. p. 23. seq.* *Baptismum*, inquit, *Judaicum, in Christianismum* NB. transisse possumus concedere; scimus enim aliam plane naturam in Christianis postea eum induisse. - - Quatenus igitur *Baptismus* est ceremonia quadam externa, dici potest, *Christum a Judaeis eum ad Christianos quoque transtulisse, quatenus vero est lavacrum verbo Dei sanctificatum, aut Sacramentum, quod dicunt, initiationis, in locum Circumcisionis venit.* Sic *D. Paulus Antonius* in *Praelect. publicis de charitate ex puro corde, cap. VII. membro I. & II.* docet, quod *Baptismus Joannis Baptismum Profelytorum ex-*  
- - - - -  
- - - - -

cepe-



ceperit, & uterque in nomen Messiae hic quidem venturi, ille venientis, sit dispensatus.

§. XXII. Quo pacto uti ultima Baptismi origo non ab institutione Christi, sed a lotionibus Mosaicis, imprimisque *Baptismo Profelytorum*, arcessitur, & inter V. T. ritus ceremoniasque oblique rejicitur, ita mirum non est, fanaticos homines, quorum, ut verbo & Sacramentis vis omnis, & auctoritas detrahatur, plurimum interest, eandem cupidissime sunt amplexi. Tremuli jactant: *Christus habe die Wasser-Tauffe nirgend befohlen: Die Apostel haben sie ohne Christi Befehl gebraucht, die schwachen Gemüther der Jüden zu gewinnen, als welche der Reinigkeit mit Wasser gewohnt waren, sie mit den Heyden zu vereinigen. Vid. Hamburg. im Quakergreuel f. 50. Clarius Volckmeyerus in Betrachtung der Anmerckungen Zach. Götzens, quod scriptum calculo suo Arnoldus probavit, p. m. 562. daß, inquit, die Wasser-Tauffe auch noch vor Johanne bey den Jüden im Gebrauch gewesen, und also die Tauffe Johannis und Christi (nehmlich die Tauffe mit Wasser; denn sonst NB. ist die eigentliche Tauffe Christi, die Tauffe mit dem heiligen Geist, oder dem geistlichen Wasser, so jener immer entgegen gesetzt wird, Act. I. 5. Marc. I. 8.) allerdings NB. eine continuirte, und aus Gewohnheit beybehaltene Tauffe der Jüden sey, ist ja von keinem studierten, und belesenen Mann zu verneinen. Sic impostor, qui sub Christiani Eliae larva virus suum evomuit, in der Erörterung von Verfall des heutigen Christentums p. 43. scribit: Die Tauffe sey eine pur lautere Menschen-Lebre. Dippelius im Oel und VVein. p. 270. sq. Die Tauff-Ceremonie führet keine gesetzliche obligation, wie die Beschneidung im alten Bunde, mit sich, vielweniger ist sie zur Seeligkeit nöthig, sondern ist fürnehmlich wegen der Jüden, welchen dero Gebrauch, und Absicht nicht unbekannt war, von Christo NB. behalten, und als eine nützliche*

*Erinnerung bestätiget &c.* Quæ verba si cum Quackerorum supra citatis comparentur, magnus sese prodet consensus.

§. XXIII. Nos, accurate subductis rationibus, de re ita statuimus, Baptismum Christianorum omnino, & primum, institutum esse a DEO, ita ut neque in locum Baptismi Profelytorum, si quis fuit, successerit, nec cum Baptismo immunditiei commune quidquam habuerit. Probo *utrumque*, quia Baptismus *immunditiei* fuit *geminus*: alius *Mosaicus*, seu a Mose in Levitico præscriptus: alius *Pharisaicus*, seu per veterum disciplinam, ac traditionem investus. De priorè agitur in *Exodo & Levitico* passim. *Ex. XIX. 10. XXIX. 4. 17. Lev. XI. 25. 28. XIII. 6. 34. XIV. 8. 9. XV. 5. 6. seq. XVI. 4. 24. 26. 28. XVII. 16. XXII. 6. Num. XIX. 16. Deut. XXIII. 11.* De posteriore, *Marc. VII. 3. 4. 8. Luc. XI. 38.* Multa enim hujus generis Pharisei *παρέλαβον κερτέν*, quo ipso innuitur, per Mosen istiusmodi præcepta non esse.

§. XXIV. Interim a *neuro* Baptismus Noster fuerit derivandus. Non a *Mosaico*, vel *Levitico*, quia hic *a*) fuit mere *ceremonialis*, non vero *Sacramentalis*, nisi tot Sacramenta V. T. fingere velimus, quot ritus, & ceremonias præscripsit Deus. *β*) Non requisivit alterius *ministerium*, sed quilibet immundus lavare se pro lubitu potuit, & purgare. *γ*) Toties repetendus fuit, quoties novam quis immunditiam contra Legem contraxit. *δ*) Procul formula divinitus præscripta fuit adhibitus. *ε*) Quoniam in populo Israelitico pridem receptus fuit, non potuit indicare tempus Messiae, vel certamina de eodem causari.

§. XXV. Non etiam a *Pharisaico*, quia hic *1*) fuit ab hominibus *Marc. VII. 4.* *2*) Fuit Phariseis, & Magistris in Israele notissimus. *3*) Non ad invidiam & odium stimulasset Judæos. *4*) Non potuisset significare adventum Messiae, vel Prophetæ. *5*) Non opus fuisset, ut ejus causa peculiare mandatum

datum a DEO acciperet Joannes. 6) Quia *1. Petr. III. 21.* diferte negatur, Baptismum esse ablutionem sordium carnis, sed *ἐπερώρημα* bonæ conscientiæ cum DEO. Quo judicio lo-  
tionibus omnibus, & Mosaicis, & Pharisaicis, manifesto oppo-  
nitur. 7) Denique Judæi per Baptismum Joannis utrumque,  
& Leviticum, & Pharisaicum, vel abrogatum omnino, vel sal-  
tem in contemptum adductum sunt opinati. Neutri ergo  
suam debuit, si res recte putetur, originem.

§. XXVI. Restare videbatur illud, ut ad imitationem  
Baptismi Profelytorum Nostrum institutum esse statueremus.  
Sed ne hoc quidem salva veritate fieri posse pervalissimum  
habemus. Primo enim, judicio nostro, ea omnia sunt in-  
certissima, quæ de Baptismo Profelytorum, *stante Templo,*  
usitato, ex Maimonide, & aliis doctoribus afferuntur. Quæ  
opinio etsi justo videri audacior poterat, tamen vel hoc uno  
se argumento æquis censoribus approbabit, quod non novum  
quid affert, sed antiquum defendit.

§. XXVII. Nullum enim de Profelytorum Baptismo le-  
gitur in Scripturis 1) *mandatum*, quod liberaliter fatetur  
*H. Vitfius*, sed potius, quod per solam Circumcisionem,  
fuerint in civitatem Judaicam recipiendi. Urgeo locum *Ex. XII.*  
*48. Si quis peregrinorum in vestram voluerit transire colo-*  
*niam, & facere Phasē Domini, circumcidetur prius omne ma-*  
*sculinum ejus, & tunc rite celebrabit, eritque sicut indigena.*  
Nihil hic de *Baptismo*, sed de *Circumcisione* Profelytorum  
dicitur, neque, opinor, illustrius erit in Scriptura oraculum,  
de legibus, quibus peregrini in rempublicam Judaicam fue-  
rint admittendi. Equidem Celeberrimus *D. Danzius* in  
*erudita Diss. de B. Profelyt. §. 25. p. 40. falluntur*, inquit, *quæ*  
*ejus natales non ultra Joannis præconium extendunt. Scri-*  
*ptura pariter, & Josephus de Baptismo Joannis loquuntur,*  
*tanquam ritu dudum in Ecclesia Judaica recepto. Et §. 30.*

p. 51. a tempore *promulgata Legis Mosaica* arcessit, quando iussi sunt Israelitæ *lavare vestes*, & mundare sese. Discere autem hic velim, numne Israelitæ t. t. religioni suæ primum fuerint initiandi? num, quum ipsi jam tum fuerint circumcisi, illam per ablutionem demum fuerint circumcisis jungendi? Numne *mundare sese* idem sit, quod toto corpore abluui, ac mergi? Numne cum crebræ istiusmodi lotiones fuerint in *Exodo & Levitico* iussæ, crebro etiam religioni suæ initiandi, fuerint Israelitæ? Numne, cum τῆ φόβει, ut Apostolus loquitur, fuerint Iudæi, sui ipsorum fieri debuerint Profelyti? Credo, multa præcisum iri incommoda, si Baptismum non *Profelytismi*, vel *initiationis*, sed *immunditiei, & purgationis* isto loco intelligamus. Quocum uti convenientiam quandam habuisse Baptismum Joannis non diffiteor; ita mirum non est, quod Josephus *L. XVIII. ἱερχειολ. c. 7. f. 626.* de hoc ipso, ceu ritu dudum in gente Judaico recepto, locutus fuit. In hæreo igitur Oraculo *Ex. XII. 48.* & quicquid contra Scripturas V. T. de antiquitatibus Judaicis, traditur, ad inania, & fragmenta jure, meritoque rejicio.

§. XXVII. Non etiam 2) *Exemplum* de tali Baptismo legitur. Schematicis enim cum Jacobi familia fuisse, meminimus, Baptismum non legimus. Nec alia suppetunt in Scriptura. Nam quod nonnulli statuunt, ad morem baptisandi Profelytos, alludi *Matth. XXIII. 15.* id quam jejunum, ac frigidum sit, omnes intelligunt. Nec 3) apud *Josephum*, aut *Aristeam*, aut *Philonem*, vel alium denique sacrum, profanumque scriptorem hujus ceremoniæ vestigium aliquod reperitur. *Corn. Tacitus L. V. Hist. c. 5.* ubi de Judæorum origine, moribus, ac institutis agit: *Circumcidere*, inquit, *genit alia constituere, ut diversitate noscantur. Transgressi in morem eorum* (Profelyti) *idem usurpant.* De *Baptismo* nil adjuicit. Quin imo *Josephus*

*phus Antiqu. L. XIII. c. 17.* ubi de Idumais ad religionem Judaicam adactis loquitur, *circumcisionis* meminit, *Baptismi* non meminit. *Hyrcanus*, inquit, *subjugatis omnibus Idumais*, edixit, ut *circumciderentur*, nisi mallet e propriis pelli sedibus. At illi amore patriæ admiserunt, & *circumcisionem*, & *reliquam juxta Judæos vivendi formulam*. Quem locum merito urfit *Ant. van Dalen*, ostensurus, B. Profelytorum multo, quam vulgo existimatur, recentiore, nec a tempore Mosis derivandum esse. Valet enim in historicis a silentio ad negationem probatio, quo de vid. *Launoj. Dissert. de vi negantis argumenti*. Itaque *Seldenus* ipse, quem tamen primum hanc opinionem in Anglia sparisse arbitror, de *Sucess. p. 97.* fatetur, quod *Baptismi usum in Profelytis faciendis paucissimi Scriptorum animadvertant*. Et *Cl. Danzius l. c. §. 31.* queritur, *Baptismi hujus circumstantias parce admodum a Talmudistis recenseri, in Scripturis plane omitti*. Quum vero Talmudici Scriptores in explicandis levissimis quibusque rebus mire facundi sint, quis credat, de tanti momenti ritu, quemque nonnulli inter *Sacramentales* referunt, tam parce ac tenuiter dicturos fuisse. Nempe quia de Non-Ente non potuit institui longa narratio. 4) Senatus Judæorum, Pharisei, & Legisperiti e Baptismo Joannis eundem, vel Eliam, vel Prophetam alium, vel denique Messiam ipsum esse sunt suspicati. Atqui, quod jam antea penes Judæos in usu, ac pervulgatum fuit, id hujusmodi suspicionem in animis hominum excitare non potuit. Erudite, ac prorsus ad rem, *Nortonus Knatchbull in Animadv. suis ad LL. N. T. & sigillatim ad 1. Petr. III. 20. seq.* Si *Baptismus*, inquit, *hodierno sensu fuisset apud Judæos in usu, temporibus priscis, cur dixerunt Baptista Pharisei, quid ergo baptisas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propbeta iste? Annon plane innuunt, nullum fuisse antea Baptismi usum, & acceptam fuisse*

fuisse opinionem inter ipsos, nullum esse debere, usque dum  
veniat Christus, vel Elias, vel Propbeta iste. Quod posterius  
ipforum Judæorum testimoniis, comprobatum dedit Lig-  
footus in Cap. III. Jo. v. 25. Illud vero etiam 5) suspectam  
reddit rem omnem, quod docent, eos omnes pro regenitis,  
saltem civiliter, fuisse habitos, qui Baptismo Profelytorum  
abluti fuerint. Id si est, cur ad injectam a Christo regenera-  
tionis mentionem obstupuit Nicodemus? cur ob ejus igno-  
rationem increpitus fuit a Servatore? Seldenus dicit: *ideo  
castigatum fuisse a Domino, quia rem omnibus notam, solus  
ignoraverit, cum esset Magister in Israel, & miratus fuerit,*  
Christum regenerationis effectum lotioni sacræ tribuere,  
quum tamen a Judæis Baptismo Profelytorum tribueretur.  
Cui sententiæ post alios, applaudit Slevogt in *Dissert. de Pro-  
felytis §. XXVI. p. m. 969.* Sed miror eruditissimos viros eam  
ad sententiam descendere potuisse. Nec enim credibile est,  
tantum virum res vulgo notissimas, & receptissimas, ignoras-  
se. Deinceps illa ipsa, quæ Profelytis tribuitur, regeneratio  
non fuit *physica*, sed *Moralis*, vel etiam *Politica & Civilis*,  
siquidem, qui Sacris Judæorum semel initiati fuerant, in re-  
publica Judaica reputabantur, pro recens-natis, vel e Judæis, &  
inter Judæos natis, utut non essent. Cur igitur Nicodemus  
audita *αὐτογενήσεως* voce, ad eandem, ceu inauditam, obstu-  
puit? Cur *physice* illam intellexit? cur non eo, quo tribui so-  
lebat Profelytis baptisatis, sensu accepit? Nempe, quia ante  
id tempus de *Baptismo regenerante*, vel *lavacro regeneratio-  
nis*, etiam *Moralis*, & *Civilis*, ne auditum quidem in populo  
Judaico fuerat. Hinc Chrysofostomus: *Duo erant, quæ Nico-  
demus admirabatur, scilicet NB. nativitas talis & regnum.*  
*Neque enim NB. audita erant apud Judæos.* Et Augustinus:  
*Non noverat iste, nisi unam nativitatem, scilicet ex Adam  
& Eva.* Quos quidem Duumviros hoc nomine, iudicio no-  
stro,

stro, præter meritum, *ignorationis rerum Judaicarum* accusat *Slevoigtus l. c.* Huc accedit, 6) quod, cum Joannes magno cum applausu inciperet dispensare Baptismum, disputatio nata est inter discipulos ejus, & Phariseos, *πρεβι ναδαρακου̃ Jo. III. 25.* Jam si Baptismus Joannis & Christi cum *Baptismo Profelytorum* convenit, in ejusque locum successit, cur eundem non cum *hoc* potius, quam cum Baptismo *Levitico*, vel *Pharisaico* contulerunt t. t. Judæi? Annon nova hinc nascitur ratio suspicandi, ignoratum fuisse Baptismum Profelytorum, nisi dicere velimus, Nos, cum *quibus Judæorum* ritibus Baptismus Joannis conveniat, melius nosse, quam Judæi, qui & istis temporibus vixerunt, & his ipsis ritibus sunt usi. Auget 7) suspicionem, quod, quo tempore Baptismus Profelytorum in Ecclesiam Judaicam sit receptus, ne quidem rerum Ebraicarum peritissimi audent definire. *Cl. Danzius* a tempore miraculosæ liberationis ex *Ægypto* derivat. Sed, quid in ea desideremus sententia, supra diximus. *B. Carpzovius* ad *J. R. Schick. p. 329.* rem omnem in medio relinquit. *Braunius ad Ebr. c. VI. 2.* demum *sub tempora Christi* eundem invaluisse putat. *Dalenius*, ut eundem inter Pharisaicos traditiones rejicit, sic eodem cum iis tempore natum esse, non obscure insinuat. Tempore saltem *Joannis Hircani*, qui, uno, & paulo amplius, seculo, Christi Servatoris tempora antecessit, nondum eum usitatum fuisse, supra ex *Josepbo*, irrefragabili testimonio, evicimus. Nec denique, quo vel Rege, vel Duce, vel Pontifice, tanti momenti ritus inventus fuerit, constat. Quæ omnia in eam me suspicionem adducunt, commentum esse, & eodem loco, cum fabula de *Zabiis*, & *Rosacrucianis*, habendum, quicquid de Baptismo Profelytorum, stante templo, & republica Judaica, memoratur.

§. XXIX. Excipit quidem *Cl. Danzius, l. c. §. 22.* Baptismum hunc ideo fuisse receptum, quia multa gentes

D

jam

jam antea fuerint circumcisæ, utpote *Colchi, Phœnices, Syri, Saraceni, Ismaelita, Arabes, Idumai,* atque *Homerita*. Hi igitur, inquit, si sine Baptismo forent, nullum prorsus externum symbolum haberent, quo intercedente in fœdus cum Deo reciperentur. Potuissent etiam hoc facto glande detecta Judæis imponere, ni aliquid accessisset amplius, ac evidentius, quo mediante reciperentur in Ecclesiam &c. Respondetur autem primo, si Egyptii fuerunt circumcisi, quomodo ex amputato præputio Moses dignosci potuit puer Ebræorum *Exod. II. 4?* Si *Phœnices* ac *Syri*, cur Palæstini non-circumcisi, Israelitis circumcisis opponuntur toties in Scriptura *Jud. XV. 18. 1. Sam. XIV. 6. XVII. 36. XXXI. 4?* Si *Edomita*, cur ad circumcisionem adigendi fuerunt per Hyrcanum, apud *Josephum L. XIII. 17.* Antiquit. Jud. Annon sanguis fœderis elici in verenda corporis parte potuit, etiam circumcisæ? quod factum esse ipsi Ebræorum Magistri scribunt? Si in gratiam gentium, apud quas usitatum fuit amputare præputium, sigillatim *Samaritanorum*, quod *Schikardo* persuasum est, de *J. R. Ebr. c. V. theor. 17. p. 329. & Mayo in Phil. S. P. I. cap. 2. p. 91.* recipi debuit Baptismus, sequitur, Baptismum quoque omitti debuisse in iis initiandis, apud quos obtinebat ablutio. Ut enim apud Ebræos atque Christianos, ita etiam in celebrioribus gentilium *initiantis* (de expiationibus enim res tralatitia est) Baptismum, seu lavacri lustrationem, primario adhiberi solitam fuisse, pridem observavit ipse *Seldenus de Success. p. 97.* De Atheniensium Eleusiniis minoribus, per quæ ad majora transibant, liquet ex *Polyæno Stratag. L. V. in Heraclide*, unde & ὁ ἀγνιστὴς τῶν ελευσινίων, seu, qui Eleusiniis Sacris quempiam ut Sacerdos initiabat, dictus est ὑδρανός seu aquarius, *Hesychio* teste. In Sacrorum Mithræ *initiantis* primus fuit ritus, *διανήζασθαι ἐπὶ πολλὰς ἡμέρας ὕδωρ πολὺ*, ut *Nonnus* scribit in *Synag. Hist. ad Orat. I. 5ηλιτ. Gregor. Naz.*



c. 47. Testimonium *Tertulliani* de eodem hoc lavacro ex *L. de Prescript. c. 40.* supra dedimus, idemque auctor est, *Aegyptios quoque & Persas, aquis suis regenerandi vim tribuisse de Baptismo Cap. V.* Notabilis locus est, totum igitur adscribam: *Nationes, inquit, viduis aquis sibi mentiuntur. Nam & Sacris quibusdam per lavacrum initiuntur, Isis alicujus aut Mitbrae. Ipsos etiam Deos suos lavationibus efferunt. Ceterum villas, domos, templa, totasque urbes aspergine circumlata aqua expiant passim. Certe ludis Apollinaribus, & Pelusis tinguntur. Idque se NB. in regenerationem, & impunitatem perjuriorum suorum agere praesumunt.* Conf. *Josephus Vice-Comes, Observ. Eccles. L. I. 17.* & *P. D. Huetius in 2v. Alnetanis L. II. c. 20. n. 2.* Imo vero fuerunt gentes, quibus & *Circumciso & Baptismus* in usu fuit, quod de *Aegyptii* modo ostendimus, de *Samaritanis* vero & eorundem reliquiis, *Sichemitis*, ex *Jobi Ludolfi Epistolis Ao. 1688.* vulgatis discere possumus. Sequeretur ergo nullum plane superfuisse symbolum, per quod ea recipi in foedus gratiae potuerint, eosque adeo beneficio Profelytismi in perpetuum excludi debuisse. Quod nemo facile dederit. Illa igitur, quam pro Baptismo Profelytorum rationem vir Eruditissimus attulit, a necessitate petitam, nobis non satisfacit. Sed nec illa, quae ab auctoritate *Mischnae*, & *Maimonidis*, aliorumque testimoniis peti solet. Nam quod ad haec attinet, haec pauca oppido, & facile femovenda esse, supra ostendimus. *Mischnae* utut nonnulla sit auctoritas, tanta tamen non est, ut sufficiat ritui adversus *Scripturam*, & veterum testimonia, evincendo, cum & seculo II. exeunte, vel III. ineunte demum sit condita & multis praeterea figmentis, erroribusque scateat, quod nemo negaverit.

§. XXX. Cum proinde illum Profelytorum Baptismum neque cum *Scriptura*, nec cum *Josephi* & aliorum, cum sa-

rorum, tum profanorum Scriptorum auctoritatibus pos-  
sim conciliare, mea de hoc argumento sententia est, stante  
templo, & republica Judaica, nullum omnino obtinuisse Ba-  
ptismum Profelytorum, fieri autem potuisse, ut deleto utro-  
que, & invalescente, per orbem terrarum, Christiana religio-  
ne, imitatione quadam, vel superstitionis ethnicae, de qua  
modo diximus, vel, quod magis vero videtur simile, ipsius  
doctrinae Christianae, a Judæis superstitionibus, & per orbem di-  
spersis, receptus fuerit.

§. XXXI. Quæ suspicio, etsi forte nonnullis absurda po-  
terat videri, tamen quod ab institutis, & moribus Judæorum  
non usque adeo sit aliena, facile ostendi ex Historia, & Anti-  
quitatibus, poterit. Apostolos enim, eorundemque munia  
instituta esse a Domino, nemo sanus facile diffitebitur. Nam  
*ἐποίησε δώδεκα ἵνα ὡσι μετ' αὐτῶν, καὶ ἵνα ἀποσέλῃ αὐτὰς κυ-  
ρήσσειν, Fecit, seu, ut idoneo Latinorum vocabulo utar, crea-  
vit XII. ut essent secum, & eos mitteret ad predicandum, Marc.  
III. 14. Et Luc. VI. 13. elegit XII. e discipulis, & καὶ ἀποσέ-  
λῃς ὀνόμασι.* Imo vero Paulus nec ab hominibus, nec per  
homines, sed a Deo se constitutum scribit Apostolum *Gal. I. 1.*  
quo doceret, creatos a Christo Apostolos non hominum in-  
ventum, sed ipsius Dei institutum fuisse. Neque etiam vel  
in S. S. vel in Ebræorum historia, vestigium quoddam extat,  
peculiaris cujusdam muneris, quod sub Apostolatus nomine  
usitatum fuerit apud Judæos, cujus ad instar, & exemplum  
XII. præcipuos verbi sui præcones hoc titulo insignierit Ser-  
vator. Et licet *Baronius in Annalibus ad A. C. XXXII. n. 5.*  
*col. 132.* usitatum fuisse dicat Ebræis, ut eos nominarent *Apo-  
stolos, qui assidue cum summo Pontifice consulendi gratia  
versarentur, quique ad ipsum referrent ea, quæ sunt in Lege,  
quos etiam sibi ipsi legare consuesset, ad componendos optimos  
mores sacerdotum, ipsas Synagogas inspiciendas, prævos mo-  
res*

*res corrigendos &c.* idque ex *Epiphanio* velit colligere; qui contra Ebionæos disputans in *Panar. her. 30.* Josephi cujusdam, apud Judæos Apostoli meminerit; insigniter tamen hic hallucinatum fuisse Baronium, *Casaubonus* ostendit in *Exerc. XIII. f. 274.* Narrat enim *Epiphanius l. c.* Judæorum sui temporis partem aliquam Tiberiade habitasse, & in aliis *Palestinæ* locis, qui dispersionis suæ Caput agnoscerent, quem *Patriarcham* nominarent. Huic fuisse velut assessores quosdam adjunctos, qui Apostoli dicerentur. Baronius vero ad summum sacerdotum, & Domini nostri tempora, eam historiam retulit, errore adeo immani, tamque manifesto, ut frustra eum adversus *Casaubonum* defendere studuerit *R. Montacutius in Origin. Eccles. P. II. f. 521.* Nihil enim commune habuit Pontifex summus stantis reipublicæ Judaicæ, cum præfectis tenuium reliquiarum, quæ urbe deleta, variis in locis Asiæ, & Europæ collectæ fuerunt, falsumque adeo est, quod Domini nostri vocem Apostolorum, vel Schelichim e communi usu Synagogæ Judaicæ fuerit mutuatus, ut potius palam sit, Judæos, invalescente per orbem doctrina Christianiana, Apostolorum titulum per *καποκηλιαν* quandam imitatos fuisse.

§. XXXII. Uti proinde vel hoc uno exemplo constare potest, cœpisse Judæos seculo statim II. titulos Christianorum, & ordinem in Ecclesia imitari, idque vel ex *invidia*, ne qua re iis inferiores videri possent, vel *providentia*, quo tali modo, Sacris suis ad Christianorum indolem moremque compositis, sui felicius in officio retinerentur; sic nihil absurdi fuerit, idem statuere de *Baptismo Prosclytorum*; eum nempe *Judaos ad imitationem Baptismi Christianorum, post natæ Servatoris tempora, recepisse.* Qua quidem in suspitione non parum confirmor, quod *Maimonides in Hile. Issur. c. 13. n. 1. 4.* quo loco de initiis Israelitarum ex instituto agit, non

modo gentiliū Profelytorum, sed & Christianorum meminit. Cumque *Julianus Sec. IV.* ea fuerit astutia usus, ut, restitutus gentiliū Sacra, de afferendis tantum, vindicandisque iis, quæ ad *substantiam* videbantur spectare, cogitaret, reliqua omnia ad indolem, moremque Sacrorum Christianorum de industria composuerit, quo & retinerentur dubii, & pellicerentur infirmi, & confirmarentur incerti, quis neget, eodem consilio Judæos quosdam a Christianis ritus & instituta petere potuisse? Saltem inter B. *Judaicum, & Christianum* tanta intercedit, qua præviam *institutionem, examen, confessionem, Baptismum, testes* adhibitos, tributam *regenerationem*, aliaque id genus, convenientia, ut minime omnium absurda videri hæc sententia possit. Conf. omnino *P. Zornii erudita de B. Profel. Dissertatio Lips. Præside Celeb. D. Cypriano Ao. 1703. habita p. 61. seq.* Nec obstat, quod Baptismus Profelytorum jam in Talmude, ceu ritus quidam antiquus, laudatur. Multi enim ipsius *Mischne* initia ad Seculi III. & amplius, tempus rejiciunt, adeoque quandam tueri vetustatem potuit, etsi Seculo incunte II. & circa *Trajani, vel Hadriani* tempora, quibus ipsam quoque circumcisionem novis legibus firmasse, & ex omnibus gentilibus Profelytos adscivisse apud *Dionem*, & alios, Judæi commemorantur, deum Sacris eorundem adscriptus fuerit.

§. XXXIII. Sed statuat quisque de hoc argumento, quod velit. *Suspiciones* enim propono, non veritates exploratas, & certas. Mihi suffecerit, quod, si vel maxime admittamus, tempore nati Servatoris in populo Judaico receptum quendam Baptisimum Profelytorum fuisse, tamen ab eodem Sacramentum Baptismi non debeat derivari. Primo enim a.) Iohannes testabatur, *a Deo missum se esse ad baptisandum. Io. I. 33. Luc. III, 2.* Ad quodcunque autem invehendum opus fuit peculiari mandato Dei, id non jam ante penes Judæos  
re-

receptum fuit. b.) Baptismus Iohannis diserte dicitur fuisse  
*e caelis Matth. XXI, 25.* h. e. a Deo ipso institutus. Profely-  
tismi autem Baptismus, si quis fuit, fuit *ab hominibus*, quod  
supra ostendimus. Non igitur potest Sacramento Baptismi  
ceu fundamentum supponi. c.) Baptismus Iohannis fuit  
consilium Dei, & medium salutis divinitus ordinatum *Luc.*  
*VII, 30.* Baptismus autem Profelytorum non fuit *consilium Dei*,  
sed *institutum hominis*, neutri ergo cum altero quicquam esse  
potest commercii. d.) Sacramentum Baptismi conditum  
est ad *remissionem peccatorum Luc. III, 4.* Baptismus autem  
Profelytismi, fuit inanis ceremonia, vergens ad testimonium  
hominis exteri in rempublicam Judaicam recepti. e.) Ple-  
rique omnes in eo consentiunt, B. Profelytorum originem  
suam humano instituto debere. Imo vero eundem una cum  
*Cabbalab*, & *sapientia Platonis*, quam nonnulli hauserant  
in Aegypto, invecum fuisse Triglandius suspicatur de *Karais*  
*p. 84.* Unde & *Dalenius in H. B. p. 342.* eundem inter *Phari-*  
*seorum traditiones* certo numerandum esse statuit. Quis  
vero persuaderi sibi patiatur, Deum quondam ex invisissimis  
sibi, creberrimeque taxatis, traditionibus, unam quandam e-  
minentem efficaciam armare, & ceu medium quoddam salutis  
hominibus proponere voluisse? f.) Baptismus salutarem,  
omnibusque hominibus communem Messiae demum tempo-  
re instituendum esse, vaticinati sunt Prophetae, David, *Psal.*  
*XXIX, 10.* *Ezech. XXXVI, 25.* *Zach. XIII, 1.* quae loca ipsi etiam  
Judaei aliter non interpretantur, apud *Raym. Martini in pug.*  
*fidei P. III. dist. III. c. 13.* Quod ergo, vi promissionis, Novi  
Testamenti temporibus reservandum fuit, non diu ante coe-  
pisse potuit. g.) Baptismus successit in locum circumcisionis,  
quod Paulus clare docet *Col. II. 17.* & veteres magno consen-  
su tradunt, etsi *Dalenius neget l. c. p. 350.* Ergo non successit  
in locum Baptismi Profelytorum, utpote qui in *initiiis* op-  
ponen-

onitq

ponebatur circumcisioni. h.) Hæc opinio sapit *Spenceri*, & *Marshami* hypothesefes, per quas omnium Ebraorum mysteriorum origines ad *Ægyptios*, & gentes alias referuntur. *Marshamus* certe ultimam Baptismi originem ab *Ægyptiis* derivare non dubitat in *Can. Chr. f. 193. 253.* Ne quid de eo addam, Baptismum nostrum singulis in fœdus gratiæ recipiendis applicandum esse, cum contra Baptismum Profelytorum in posteris non fuerit repetendus, ob quam etiam rationem *Dalenius* in *Hist. B.* negat, Baptismum Christianum ad Judæorum Profelytismum referri oportere. *Conf. erud. Auctores der U. N. ad Annum 1703. pag. 676. seq. & Ant. van Dalen l. c. pag. 348. seq.*

§. XXXIV. Jam quæritur IV.) num Baptismus Joannis & Christi fuerint diversi? Affirmant præter Pontificios, contra quos vid. *T. II. Giff. p. 325. Quackeri* apud *Schelvigium P. II. Quackerismi conf. p. 333. &*, qui horum premit vestigia, *Democritus im Bekäntniß Art. VIII. p. 49. hier, inquit, gings nicht orthodox zu, weil unsere Theologi sprechen, die Tauffe Johannis sey von der Tauffe Christi nicht unterschieden, also waren sie Wiedertäuffer, und waren zuvor durch die Tauffe Johannis nicht wiedergeboren.* Quibus verbis & Nostros pungit, & quandam inter Joannis & Christi Baptismum diversitatem statuit.

§. XXXV. Nos autem rotunde, ac simpliciter negamus, his potissimum rationibus inducti 1) quia eadem utriusque fuit *Origo.* Baptismus enim Joannis fuit de cœlo *Jo. I. 33. Luc. III. 2. Matth. XXI. 25.* Baptismus Christi, vi potestatis infinita, quam a Patre acceperat, institutus *Matth. XXVIII. 16. 18.* 2) Eadem utrobique *materia*, nempe aqua, quod de suo testatur Joannes *Jo. I. 33.* de suo Dominus *Jo. III. 5.* & Apostolus *Ephes. V. 26.* 3) Eadem utrobique *forma.* Non enim nisi unus Baptismus est *Ephes. IV. 4.* nec alia de causa in Baptismo

ptissimo Joannis conspiciendam se præbuit tota S. S. Trinitas, quam ut eundem in suo pariter nomine administrari ostenderet. Et quis credat, Christum, qui caput est, alio, quam membra sua, Baptismo tingi se voluisse? Imo vero eodem tempore & Johannis & Christi discipuli baptifasse, & hi illorum abluionem ratam & legitimam habuisse leguntur. Ne quid de eo addam, absurdum esse, geminum, diversumque in regnum Dei ingressum statuere. Nam & 4) eadem utrobique *efficacia* reperitur, siquidem utrobique ad remissionem peccatorum, & evitacionem iræ divinæ fuit dispensatus Baptismus *Marc. I, 5. Luc. III, 3. 7. Act. II, 38. Matth. III, 7.* Eadem denique 5) utrobique *necessitas*, si quidem Johannis Baptismus fuit consilium Dei, quod contra se ipsos spreverunt Pharisei *Luc. VII, 33.* & Christi Baptismus dicitur lavacrum regenerationis, & renovationis in Spiritu S. *Tit. III, 5.* De utroque autem Servator ipse pronuntiat: *nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non poterit ingredi in regnum celorum Joh. III, 5.*

§. XXXVI. Non obstat, quod Joannes ipse inter *suum*, & *Christi* Baptismum distingvere *Matth. III, 11.* videtur. Non enim distingvit inter Baptismum *aquæ a se*, & inter B. *aquæ a Christo* dispensatum, sed inter Baptismum *aquæ*, & *ignis*, adeoque inter *proprium*, & *improprium*. Nec loco *Act. XIX.* tueri sese *ἐμπόδιος* poterit, quum verba commatis quinti non sint verba *Luce continuantis* historiam, sed *Pauli edifferentis*, quomodo se olim ad suscipiendum Joannis Baptismum homines præpararint. Conf. interim *Zach. Schilter in exetasi Catech. p. 431. Hunnius de Sacram. p. 173.*

§. XXXVII. Porro V.) & illud in controversiam vocatur, quod in locum Circumcisionis successerit Baptismus. Negat hoc conceptis verbis *Ant. van Dalen in Hist. Bapt. pag. 350.* nec qua de causa id fiat, obscurum esse potest, nempe

E

ne

ne inde pro pædobaptismo, quem sibi data opera implugnandum sumpsit, argumentum aliquod depromatur.

§. XXXVIII. Sed facile suo se robore defendit sententia. Uti enim Circumcisio fuit sigillum justitiæ fidei, ita Baptismus est stipulatio bonæ conscientiæ in Deum *Rom. IV. II. 1. Petr. III. 21.* Et sicut Circumcisio notabat necessariam coercionem, quasque amputationem peccati originarii; ita Baptismus notat extinctionem, & suffocationem veteris Adami, dominium affectantis in carne *Rom. VI. 6.* Denique ut Deus excidium minatus est omni, qui neglexerit Circumcisionem, ita Christus negat introiturum in regnum Dei, qui ex aqua & Spiritu renatus non fuerit. Ob hanc convenientiam Paulus Baptisum Circumcisionem Christi, & Circumcisionem ἀχειροποίητον nominat *Col. II. II.* Qui locus illustrior est, quam ut adversariorum obscurari cavillationibus possit. Veteres autem hac ipsa de causa utrumque, & circumcisionem, & Baptisum σφεαγίδα dixerunt, & Baptisum, more Circumcisionis, ad diem usque VIII. differri debere censuerunt, quod e *Cypriani ad Fidum Epistola* constat *OO. f. 94.* quo loco Baptisum *Spiritualem Circumcisionem* diferte nominat. Augustinus denique mutuum illum inter Circumcisionem & Baptisum respectum expositurus, eleganter: *quod est, inquit, octavo die non circumcidi, h. e. in Christo non baptisari, & quod est perire de populo suo, h. e. non introire in regnum cælorum.*

§. XXXIX. Quæ contra dicit Dalenius, exigui sunt momenti. Urget: *Circumcisionem nullam pœnitentiam, nullam, per veteris hominis abjectionem, regenerationem mysticam exegisse.* Cur autem eo nomine Apostolus reprehendit Judæos, quod, cum per Circumcisionem obligarint sese ad observationem totius legis *Gal. V. 3.* tamen illi nec *per se,* nec *per alium,* nempe Fidejussorem JESUM Christum, ad quem



quem nisi per veram pœnitentiam non datur aditus, satisfecerint *Rom. II. 24. sq.* Cur inter circumcisionem præputii, & cordis, carnis & spiritus, internam & externam distinguit? *Illam enim fit amputatione carnis: hac emendatione cordis*, ut loquitur *Baldwinus ad Rom. c. II. f. 48.* Cumque externa circumcisio adumbret internam, quid, rogo, hæc est aliud, quam feria pœnitentia? Ipsa amputatio præputii est chirographum circumcisi, *Col. II. 14.* quo fatetur, se vitiorum abundantia laborare, typice vero præsignificat Messiam. Circumcisio igitur & *contritionem & fidem*, pœnitentiam, & regenerationem exegit. Conf. *Daub. in μυστηριος. p. 201. 204.*

§. XL. Ceterum ut his temporibus caput de Baptismate non uno modo sollicitatur; ita etiam VI.) qua MATERIAM negatur, *aquam* in dispensatione illius præcise necessariam esse. Etenim *Halensis* quidam *Œctus* dissertationi suæ hoc corollarium adjecit: *Qui olim per errorem cerevisia baptisatus fuit, non præcise denuo aqua baptisandus erit, nisi quatenus ipse ob conscientia scrupulum hoc postulare.*

§. XLI. Quem quidem errorem etfi jamdum *Celeberr. D. Förtschius in Brev. Controv. recent. ©. LXI.* biennio abhinc notavit, breviter tamen necessitatem aquæ in dispensando baptismate probamus a) ex ipsa *institutione*. Το βαπτίζεν enim *absolute* positum significat, vel *aquam affundere*, vel *aquis immergere* *Luc. XI. 28. Marc. VII. 4.* b) *Ex mandato*, quod Joannes se accepisse dicit *ad baptisandum aqua* *Io. I. 33.* c) *Ejusdem Joannis exemplo*, qui semper & ubique baptisavit aqua, *Matth. III. 6. 7. 11. 16. Marc. I. 5. 8. 9. Luc. III. 16. Jo. I. 26. III. 23.* d) *E Christi testimonio*, *Jo. III. 5.* Nec non e) *Apostolorum praxi*, cum ante, tum post Servatoris in cœlum evecti tempora *Jo. III. 22. 23. 26. Act. VIII. 34. X. 47.* Quid multa? Baptismus f) ab ipso Apostolo dicitur *lavacrum aqua*

quæ per verbum *Eph. V. 25.* A quo igitur lavacro abest aqua, id Baptismi nomen sustinere non potest.

§. XLII. Neque hic suffecerit, *per errorem* alium quendam liquorem adhibuisse. Modo enim ostendimus, aquam esse *de essentia* Baptismi. Non magis igitur licet Baptismum fingere *sine aqua*, quam Coenam Domini *sine pane & vino*. Integritas enim Sacramentorum dependet ab *unione*, quæ sic vocatur, *Sacramentali*, vel utriusque materiæ, terrenæ & cœlestis in ipso usu, & actione divinitus ordinata, conjunctione. Atqui ut in dispensatione S. Cœnæ Dominus non promisit, suum se corpus unire velle cum carne, verum cum pane: nec sanguinem cum lacte, aut aqua, verum cum vino; ita etiam in administratione Baptismi Christus non promisit, se, suumque Spiritum, & nomen gloriosum S. S. Trinitatis ab eoque oriundam efficaciam, copulare se velle cum cerevisia, vel alio quopiam liquore, sed cum aqua. Absque hoc igitur elemento non datur Baptismus, quam accurate de cetero, ac sollicitè dispensetur. Causas enim *internas* talibus in mysteriis mutare non est in potestate hominis. Nec hic excusat error. Uti enim quod præter, & contra revelationem DEI propositum fuit, etsi per errorem pro verbo DEI habeatur, revera DEI verbum non est, quum sit *de essentia verbi* DEI, ut sit revelatum divinitus; ita & definit actio esse Sacramentum, si eidem detractum fuerit elementum cum cœlesti re conjungendum, si vel maxime per errorem id factum fuerit, & peregrini liquoris aspersio cum verbo conjuncta non magis dici meretur Baptismus, quam si legitimus quidem liquor adhibitus, verbum autem, ceu vehiculum S. S. Trinitatis, mutatum, in ejusque locum alia quædam revelationis divinæ particula surrogata fuisset. Kahlæ in Thuringia evenit olim, ut obstetrix aliqua infantes quosdam infirmos, ibi, & in vicinia, necessitatis prætextu, baptifaret

ret absque aqua, pronuntiatis solum verbis: *Ego Te baptiso in nomine Patris, Filii, & Spiritus S.* De hoc consulti *Lutherus, & Bugenbadius* responderunt d. 26. Mart. 1542. *feminam hereseos suspectam esse, que superioribus annis, iis in locis grassata fuerit. Sporni & corrumpi aperte Baptismum, qui sine aqua fieri non possit, neque sufficere, quod anus illa dicat: se verbo Dei baptizare. Verbum enim Dei non sufficere: sed simul aquam in Sacramento illo adesse debere. Qua quidem in sententia acquiescendum esse putamus. Conf. Seckendorf. in Hist. Luth. ad An. 1542. L. III. Sect. XXV. n. CI. f. 416. & Loberus in H. E. Orlam. P. II. Sect. 2. p. 393. seq.*

§. XLIII. Nihil non hoc tempore in controversiam vocatur. Negant igitur VII.) non pauci, PARVULOS baptisari debere. *Ant. van Dalen in Hist. Bapt. receptam, & in Scripturis fundatam sententiam ex instituto impugnat, cui D. Jo. Fr. Buddens, superiore anno peculiarem Dissertationem de Pædobaptismo opposuit. Arnoldus Anabaptistarum errorem tantum non propalam defendendum suscepit, cautus, sie hätten den klaren Buchstaben vor sich gehabt. Quod quidem adeo verum est, ut Sykensis, prope Bremam, Ludimoderator rogatus causam, cur rejiceret Pædobaptismum? responderet: pridem observasse Arnoldum, quod is in Scriptura non sit fundatus. Ad ejusdem sese auctoritatem recepit quidam in Franconia camentarius, cum negaret passurum sese, ut recens-sibi natus infans sacro lavacro ablueretur, quod a viro fide dignissimo ad me haud ita pridem perscriptum fuit. Quid Halis, & in vicinia, evenerit, nolo nunc repetere, vel exprobrare infeste. Klopferus Ao. 1697. ut natus sibi filius baptisaretur, concedere noluit, causam interferens: Es sey ihm 14. Tage vor seines Kindes Geburt, durch sein habendes Göttliches Licht angeschienen, daß er sein Kind nicht solle*

tauffen lassen - - indem es der HERR durch seinen heiligen Geist, und Feuer bereits getauft hätte vid. Acta Greifensteniana ap. Schelgw. in Wigand. p. 131. Carolus Osnabrugensis eo impudentiæ est progressus, ut suo in Catechismo, Luthero ipsi Padobaptismum displicuisse, contenderet. Volckmeyerus in Observationibus pro Arnaldo contra Gözium scriptis, p. 62. non obscure cum illo facit. Horchius cum ad Senatum Eccles. Marpurgensem III. Cal. VIIbr. 1699. causam diceret, initio quidem videbatur Padobaptismum suo loco relinquere, mox tamen adjiciebat hæc verba: *Je mehr ich die angeführten Gründe erwege, ie weniger Krafft finde bey ihnen, und bin im Gegentheil gantz versichert, daß die Einsetzung der heiligen Tauffe Matth. XXVIII. nur die Erwachsenen angebe.* Personatus Elias Christianus in der Erörterung, worin der Verfall des heutigen Christentums bestehe? Philadelph. 1703. p. 43. scribit, *die Kinder-Tauffe sey eine pur lautere Menschen-Lehre.* Conf. U. N. ad An. 1704. pag. 61. Consentit Dippelius c. Mayerum p. II. dum jactat: *die Kinder-Tauffe fällt von sich selbst zu Boden, die unwidersprechlich eine Menschen-Lehre ist.* it. in Oel u. Wein p. 170. *die Tauffe der kleinen Kinder ist der Einsetzung Christi, wie auch dem Gebrauch der ersten Kirchen gar nicht gemäß.* Qui ceteris vel modestiores, vel callidiores sunt, tolerandum eum esse judicant in Ecclesia ceu ritum quendam antiquum, qui procul infirmorum scandalo abrogari non possit. Expectandum igitur esse illius eliminandi commodum tempus, donec preparatis omnium animis, ut olim Synagoga Judaica, cum honore sepeliatur. Non alienus est ab hoc consilio Dippelius ipse in *Papismo Protest. vap. pag. 262.* & Philirinus sua in *Theologia*, vel potius *Mataologia*, contendit: *es sey beydes recht, die Kinder tauffen und nicht tauffen.* Adeo nunc ad Fanaticismum, & Indifferentismum, prona sunt omnia.

§. XLIV. Nos furoribus istis opponimus I.) Institutionem Christi, *Matth. XXVIII. 18. Baptisate omnes gentes.* Si omnes *gentes* sunt baptisanda, baptisandi quoque sunt infantes, cum gentem sine infantibus concipere, procul absurditate aliqua, nequeamus. Nec obstat, quod τὸ μαθητεύειν h. l. præmittitur τῷ βαπτίζειν, ex quo *Dalenius, Tremuli, Dippe- lius,* & reliqua fanaticorum turba, inferunt, neminem prius baptisari debere, quam possit doceri. τὸ μαθητεύειν enim, ut pridem est observatum Nostratibus, est generale quoddam vocabulum, & notat *discipulos facere*, quo significato etiam reperitur *Act. XIV. 21. εὐαγγελισάμενοι τὴν πόλιν ἐπέειπν, καὶ μαθητεύσαντες ἰκανὸς,* quo loco μαθητεύειν, ceu scopus prædicati per Apostolos Evangelii generalis proponitur. Huic igitur scopo *generali* duo apud Matthæum subordinata sunt media, βαπτίζειν, διδάσκειν, quorum illud ad *infantes*, hoc ad *adultos* pertinet, ita ut cuius ætati tale propositum sit medium, cuius ea sit capax, & baptisari jubeantur, qui baptisari possunt, doceri jubeantur, qui doceri possunt. Uti enim in V.T. præmissa fuit institutio in *adultis*, circumcisio secuta: contra vero in *infantibus* circumcisio præmissa, & institutio secuta fuit; sic nihil impedit, quo minus, pro conditione hominum, nunc doctrinam baptismati, nunc baptisatum doctrinæ præmittamus.

§. XLV. Urgemus II.) *summam regenerationis necessitatem*, quoad omnes qui sunt caro de carne nati, quam docet Dominus *Jo. III. 5.* Quod ipsum cum de infantibus negari non possit, commodius autem regenerationis medium in eosdem non cadat, sequitur, eos a Baptismo non oportere excludi.

§. XLVI. Quod probamus III.) quia ad infantes spectat promissio gratiæ *Gen. XVII. 7. Act. II. 39.* Quo loco Petrus expressam, & distinctam a parentibus, *liberorum*, procul  
omni

omni ætatis discrimine, mentionem facit, adeoque sic argumentatur: *Quibus facta est promissio gratia, & fœderis Evangelici, illos baptisari oportet in remissionem peccatorum, ut accipiant Spiritum S. At vobis, & liberis vestris, facta est illa promissio: Recipite igitur & vos, & liberi vestri, baptismum per quem ad fœdus promissæ gratia admittamini.*

§. XLVII. Urgemus IV.) quod Apostoli *Act. XVI. 33.* & *1. Cor. I. 16.* integras familias baptisasse leguntur. Quo jure autem ab his excludemus infantes? Taceo, quod ad infantes quoque, seu τὰ βρέφη, spectat regnum cœlorum *Marc. X. 13. Luc. XVIII. 16.* cujus partem esse Baptismum, nemo negaverit, aliaque id genus argumenta, quæ cum passim legantur, studio brevitatis nolo repetere. *Conf. Calixtus de Bap.*

§. XLVIII. Objicitur autem imprimis: *De Pædobaptismo nullum expressum in Scripturis, vel mandatum, vel exemplum, extare.* Sed respondemus: Sufficit generale, quod specialia includit. *Generalis illa Descriptio*, ut a *Tertulliano*, in *L. de anima*, seu *Constitutio*, ut ab *Ambrosio L. X. Ep. 84. ad Demetriadem* dicitur, quam Christus uno loco, uni homini, & per eundem omnibus inculcavit: *Nisi quis renatus fuerit &c.* pertinet etiam ad infantes. Nam si absque expresso speciali mandato, & exemplo, non liceret aliquid in Ecclesia usurpare, sequeretur, feminas quoque arcendas esse ab usu S. Coenæ, quia Christus & discipulos solos eidem interesse voluit, ac ne matrem quidem adhibuit, nec ex ullis Apostolorum libris, quod easdem Coenæ interesse sint passi, constat. Quod igitur *Augustinus* olim *Maximo*, Arianorum Episcopo, exigenti expressum testimonium adorationis Spiritui S. præstitæ, vel præstandæ, respondit: *Quasi non ex iis, que legimus, aliqua etiam, que non legimus, intelligamus*; id expressum, & peculiare mandatum, & exemplum Pædobaptismi flagitantibus, nos quoque responsum esse volumus.

§. XLIX.

§. XLIX. Sed negat tamen *Arnoldus*, ante *Seculum III.* Prædobaptismum usitatum in Ecclesia fuisse: imo vero *Terullianum* *Seculo III.* eundem in pugnasse. Vid. *Heres. L. II. §. 3. c. 10.* Cujus innixus auctoritate *Dippelius*, (alioqui enim Antiquitates ne quidem per transennam aspexit,) scribit: *Die Kinder-Tauffe ist dem Gebrauch der ersten Kirche gar nicht gemäß, im Oel und Wein p. 270.* Et p. 296. *Man hätte billig, den alten Irrthum der Kinder-Tauffe, seiner Mutter, dem Pabsthum, sollen heimgen.* Nempe, quod jam supra monuimus, *Papisticum* est, quicquid ad fanaticorum palatum non est. Facile autem veterum testimonii ostendi potest, quod præficus etiam *Seculis Prædobaptismus* usitatus fuerit in Ecclesia.

§. L. Etenim *Irenæus*, Lugdunensis Ecclesiæ in Gallia Episcopus, & martyr J. C. qui Apostolorum temporibus adeo vicinus fuit, ut Polycarpum, Joannis discipulum, puer viderit, & audierit, *L. II. de heres. c. 29. f. 137. edit. Gallaf.* scribit: *Omnes venit per seipsum salvare, omnes inquam, qui per eum renascuntur in Deum, INFANTES, & PARVULOS, & pueros, & juvenes, & seniores.* *Origenes*, quem 87. annos post obitum Joannis Apostoli natum tradunt, idem conceptis verbis testatur, *P. I. OO. in homil. IX. in Levit. f. m. 145.* *Requiratur*, inquit, *quid cause sit, cum Baptisma Ecclesiæ in remissionem peccatorum detur, NB. secundum Ecclesiæ observantiam, etiam parvulis Baptismum dari, cum utique, si nihil esset in parvulis, quod ad remissionem deberet, & indulgentiam pertinere, gratia Baptismi superflua videretur.* Et *P. II. homil. XIV. in Lucam f. m. 223.* *Parvuli baptisantur in remissionem peccatorum, vel quo tempore peccaverunt? aut quomodo potest ulla lavacri in parvulis ratio subsistere? nisi juxta illum sensum, de quo paulo ante diximus? Eadem inculcat homil. V. & VI. in Epist. ad Rom. f. 540. 543.* *Cyprianus*, quem pariter salutarem doctrinam sanguinis sui effusione

inobisup F obfi

obsignasse constat, cum toto LX. Episcoporum Concilio decrevit, Baptismum infantum ne quidem ad diem usque octavum, more Circumcisionis in V. T. differri debere, eoque nomine peculiarem quandam ad *Fidum Presbyterum* epistolam exaravit, quæ extat *n. LIX. f. 95. ed. Rigalt.* Taceo plura, cum hæc pro evincendo antiquitatis consensu sufficere posse existimem.

§. LI. Tertulliani auctoritas causam nostram defendit magis, quam premit. Hoc ipso enim, quod scripsit: *quid festinat innocens atas ad remissionem peccatorum?* Padobaptismum jam tum in Ecclesia receptum fuisse docet. Nec enim impugnare potuit, quod minime fuit. Quod vero eundem alicubi improbare est visus, id bonitati causæ, & reliquorum Doctorum consensui fraudi esse non potest.

§. LII. Interim dici non potest, quam multis, variisque hoc tempore rationibus pugnet pro Anabaptistarum errore *Arnoldus. Initio P. II. hæresiol. L. XVI. c. 21. f. 272.* (quem librum magno Ecclesiæ damno publicatum esse, supra usu ipso, & exemplis ostendimus,) non sine scommate scribit: *Man sebe aus ibrer (der Wiedertäuffer) widerwärtigen Schrifften, daß sie offt um recht beständige Gründe NB. von der Kinder-Tauffe sebr bekümmert, und ängstiglich gewesen, und einander inständig um Mittheilung derselben gebeten. &c.* Ista probaturus allegat *M. Micronii* (ita enim scribendum fuerat, non *Myconii*) epistolam ad Bullingerum, apud *Ottium in Annal. Anabapt. p. 124.* nec non *Engelberti Fabricii*, ex iisdem, ut alia omittamus. At enim vero, cur, ubi de Anabaptistarum adversariis loquitur, *Zvingliana* tantum cohortis doctores citat? Qui si vel maxime hic trepidassent initio, tamen id veritati fraudi esse non posset, quod eos ab Anabaptistarum erroribus non adeo multum abesse jam pridem ostensum fuit a Nostriis.

§. LIII. Quamquam, si rem accurate examinemus, ne quidem



quidem *Zwinglianorum* scripta bona fide tractavit. Etenim in *M. Micronii* epistola tantum abest, ut argumenta idonea pro *Pædobaptismo* experita fuerint ab eodem, ut potius nec in hac, nec in sequente epistola, vel minima ipsius *Baptismi* injiciatur mentio. Utrobique enim agit *Micronius* de *Colloquio*, quod *Norda* cum *Sim. Mennone* habuerit, non tamen de *Pædobaptismo*, sed de *incarnatione Filii Dei*, siquidem Menno negaverat, feminas habere semen, eaque de causa contendebat, Christi carnem non fuisse ex *Mariæ* substantia assumptam, sed vel e substantia Patris, vel Spiritus S. vel verbo ipso productam. Quo tamen in *Colloquio* superiorem se discessisse scribit *Micronius*, ita ut *Menno* suis diffusis rebus alio se receperit.

§. LIV. Allegat porro, iisdem ex *Annalibus*, p. 128. *Engelb. Fabricii* literas, quibus queratur, in refutandis *Anabaptistis* curtam sibi esse supellectilem. Verum in his quoque literis nihil de *Pædobaptismo* legitur, ac ne quidem de inopia argumentorum adversus *Anabaptistas* in genere, sed de inopia verborum, dum scribit: quod satis apte loqui non possit. Interim dissimulandum non erat, quod ipse *Fabricius* subjecit: *Bernhardum* quendam in *Orientali Frisia*, (quem *Lutheranum* fuisse constat,) *peculiari libello* NB. *solide, breviter, ac perspicue, Catabaptistarum strophas solvisse.*

§. LV. Pergit nihilominus *Arnoldus*: *Auch haben die ansehnlichsten Lehrer dazumahl in den heftigsten Streitigkeiten nicht gelegnet, daß die Kinder-Tauffe mit allerhand Einreden könne Zweifelhaft gemacht werden, und sich darbey beruffen auf die erste Kirche, item; auffer der Kirchen sey kein Heil: das die Verheiffung der Seeligkeit auch die Kinder angebe, u. s. w. welche Schlüsse man gegen die obigen, np. Anabaptistarum, halten mag &c.* Observemus autem h. l. artes, & insidias *Arnoldi*, qui splendido etiam elogio cohonestat *Melanchthonem*, tantum, quo evincat, ne præstantissimos quidem *Doctores* inter nostros, *Anabaptistus* satisfacere potuisse.

Producit argumenta *Philippi*, sed *leviora*, obiterque inspecta, & tamen cum *Anabaptisticis*, postulat conferri, nempe, quo *Philippi* levioribus, cum Anabaptistarum magis speciosis rationibus collatis, illum inferiorem fuisse appareat. Graviora enim *Philippi*, & solida, prorsus dissimulat, tantum sui ne socii premantur. Hoc, nimirum, est scribere, historiam ab omni partium studio alienam. Inspiciantur vero, ni grave fuerit, *Loci Philippi*, ea parte, qua *de Baptismo*, & sigillatim *infantum*, agit *p. m. 496. seq. 500. seq.* & facile apparebit, eundem non modo Antiquitatis suffragio, sed ipsius quoque Scripturæ testimonio se, suamque sententiam, defendisse.

§. LVI. Post aliqua memorat Arnoldus, quod idem *Philippus An. 1522.* in suis ad Electorem literis, aliquid ex *Augustino*, Pædobaptismum, *soliis consuetudinis* argumento, adstruente, adduxerit, ex eoque intulerit, *difficillimam esse questionem, nec Lutherum id latere.* Quid mirum vero, si sub initium controversiæ, præter expectationem motæ, trepidavit Philippus, cum milites etiam, alioqui fortissimos, videamus repentina re territos retrocedere, donec ab Imperatore increpiti, & in ordinem redacti, resumant animos, eantque in hostem. Esto, sub initium non statim succurrisse Melanchthoni fortissima quæque argumenta e Scripturis: sufficit, quod deinde a Luthero confirmatus exprompsit non modo speciosa, sed etiam valida, & invicta.

§. LVII. Laudat vero etiam Arnoldus *Renovationem*, ut libellus inscribitur, *Ecclesia Nordlingensis*, cujus auctores de suo baptisandi ritu hæc habeant: *Tingimus pueros, tingimus provecioris ætatis, non arcemus ab Ecclesia, qui pueros ad tingendum non afferunt, sed tantum manuum impositione & deprecatione Ecclesia, Christo Mediatori, & Servatori nostro commendant. Nullam ætatem præcepit Baptismo Christus, sed neque ullam vetuit. Baptizare iussit discipulis in nomine Patris, Filii & Spiritus S. Matth. ult. Asportari iussit*

justit infantes, increpans discipulos, qui probiberent, pronun-  
tians horum esse regnum caelorum. Nunc autem nemo arbi-  
tror arcebit a Baptismo, qui regnum caeleste donat, ut inju-  
rium sit, dogmate rem vitare per sese liberam &c. Quid  
igitur, si primis emendatae religionis temporibus alicubi  
haesitarunt Nostrates, & nonnulli ritum quendam putarunt  
esse liberum, quem urgere debebant ceu necessarium? Sufficit  
contra Arnoldum, quod Renovationis illius auctor pro Pado-  
baptismo argumentis non contemnendis pugnat, eundemque  
saltem non improbandum esse adversus Anabaptistas ostendit.

§. LVIII. Ad Pacimontani, Oecolampadii vel etiam  
Wafemeri, (quem negotiatorem quendam Neoburgicum in  
Helvetia, non Misnia, fuisse constat,) judicia non est cur pro-  
lixè respondeam. Zwingliani fuerunt, de quibus recte  
Hunnius Senior judicavit, quod, quamdiu perversissimas suas  
opiniones tueantur, ne unum quidem argumentum pro osten-  
dendo Pado-baptismo possint proferre, quin ingeniosus aliquis  
Anabaptista illos proprio gladio jugulare queat. in L. de Sacr.  
c. XII. p. 285.

§. LIX. Antonio van Dalen, qui Pado-baptismum sua in  
Historia p. 355. seq. ex instituto impugnat, satisfecit Observa-  
tionibus Theologicis de Pado-baptismo D. Jo. Fr. Buddeus, ut  
adeo non sit, cur iis vel repetendis, vel refellendis debeam  
immorari. Dippelius in O. u. W. pag. 292. scribit: *Da soll ein  
in Sünden gebornes Kind, welches weder sich, noch seinen  
Schöpffer erkennen kan, gleichwohl mit Gott einen Bund ma-  
chen: Den Bund eines guten Gewissens, welcher unmöglich  
ohne vorhergegangene Erkänntniß sein selbst, wahre Buß und  
Glauben mit Gott kan aufgerichtet werden.* Quod repetit in  
L. c. D. Mayerum p. 11. denuoque ex 1. Petr. III. 21. probare  
nititur. Verum hoc pacto sequeretur, quod nec in V. T. foedus  
Dei in Circumcisione potuerit iniri cum pueris, contra Gen.  
XVII. 7. 9. 10. 11. Neque enim in foederibus Dei cum creatu-

ris mutua vel scientia, vel consensio actualis requiritur, cum *Gen. IX.* etiam cum brutis animantibus legatur pepigisse fœdus. *Si proinde etiam cum brutis Deus potest inire fœdus, multo magis id facere potest cum parvulis, qui licet ratione sua nondum utantur: tamen in hac fœderali actione Spiritus S. arcana ratione illos regenerat, & novos motus in eis ciet, qui sunt instar cujusdam consensus. Et quanquam ipsi suum declarare consensum in hac Sacrosancta actione haudum possunt; tamen habent suum a Deo constitutum advocatum, Christum, qui ipsorum loco spondet, inquiens: Sinite parvulos ad me venire; horum enim est regnum cœlorum, ut Hunnius l. c. p. 263. loquitur.*

§. LX. *Carolus, Ecclesiastes olim Osnabrugensis, in pessimo libello, quem Catech. Antipietist. inscripsit, initio quidem Pædobaptismum ideo impugnat, quia Matth. XXII. 18. & Marc. XVI. 16. credere præponatur Baptismo: mox, cum intelligat, omnem se Pædobaptismum eripere nobis, in tanta veritatis luce, non posse, dat id operam, ut quorundam saltem non licere ostendat. Itaque ad quæstionem propositam: So würde man ja die Kindlein nicht müssen tauffen, zum wenigsten die, (um von andern nicht zu sagen,) deren Eltern, oder Gevattern, so vor ihre Göttl. Erziehung im Glauben, und rechtschaffenen Christenthum bey Gott gut sagen, noch selbst keinen wahren Glauben im Hertzen haben, oder doch dieselben nicht im rechtschaffenen Glauben, und Christenthum heiliglich erziehen wollen, oder können? ita respondet: Du solt den Nahmen deines Gottes nicht unnützlich führen. Für der Entbeiligung des Nahmes Gottes behüt uns lieber himmlischer Vater. Putat nimirum nomen Dei in vanum assumi, ac profanari, si illi etiam infantes tingantur, quorum vel parentes, vel sponsores sint impii. Per Baptismum enim infantes adigendos esse in fidem Christi. Id vero ab iis expectandum non esse, qui fidem Deo datam ipsi fregerint, & sancte promissa male servarint.*

§. LXI.

§. LXI. Ac de Locis quidem ex *Matth. ult. & Marc. XVI.* nil moneo, cum eadem & nuper a *Dalenio* objecta, & pridem a nostris sint vindicata. Reliqua nescio stolide magis, an impie statuatur. Cur enim parvuli ob improbitatem parentum arcebuntur Baptismo? Quo loco in Scripturis pædobaptismus a parentum fide suspensus est? Cur infans portabit iniquitatem Patris, eoque beneficio carebit, quo culpa sua excidit Pater? Nullum in N. T. puerum ob facinus a Patre admissum, circumcissione privatum legimus. Imo vero Zipora, quo tempore circumcidit filium, non modo æstuavit ira, sed & filii cuticulam ad mariti pedes abjecit, eumque convitiis incescit, & contemptum sanctissimi mysterii prodidit. *Ex. IV. 25.* Nec tamen propterea irrita filii circumcissio fuit, sed potius, adhibita ea, melius habere cœpit Moses, alioqui interficiendus a Domino. Quanquam igitur periculum sit, ne impii parentes liberos suos ea diligentia & fide ad pietatem, & timorem Dei, quo debebant, non educant, meminisse tamen debemus, perseverantiam in gratia fœderali non pendere ab educatione parentum, cum videamus piorum parentum sæpe filios improbos, improborum sæpe pios filios esse. Cumque fieri possit, ut piissimi etiam parentes præmatura morte abripiantur, quo minus filiorum curam habere possint, educatio etiam vel a magistratu, vel a tutoribus negligatur, sequeretur, hoc pacto nullum unquam infantem tingendum esse. Quod ipsum etsi *Carolus* his exceptiunculis haud dubie intendit, cum præsentissimo tamen salutis periculo, respectu parvulorum, conjunctum esse supra ostendimus.

§. LXII. De sponforibus idem est judicandum. Etsi enim morem adhibendi sponsores non improbemus, negamus tamen eundem esse de substantia Baptismi, aut eo usque necessarium, ut ob indignitatem sponsores vel invalidus sit, vel plane omittendus. Sunt enim vel *hypocrita*, vel *manifesto impii*. Si hoc, arcendi sunt potius, in  
eor

eorumque locum meliores suffiendi, quam propter eorum improbitatem differendus Baptismus. Tales quippe sunt deligendi sponsores, qui, quod de sancta infantum educatione promittunt, & satis norint, & probabiliter, quum opus fuerit, præstare possint. Sin *illud*, res est relinquenda divino iudicio, nec enim nostrum est, sententiam dicere de occultis. Interim si omnino pro infante fide jubeat, qui, quæ pro eo spondere debet, ipse non præstat, non tamen propterea vel infans baptismate privandus, vel de ipsius lavacri efficacia dubitandum est. Uti enim quis efficaciter potest ad pietatem hortari, utut sit impius, & ea docere, quæ ipse non facit *Matth. XXIII, 6. Pbil. I, 9.* sic pro alio etiam ea quis potest spondere, quæ ipse nec præstitit, nec præstabit.

§. LXIII. Quod de cetero ad hæc omnia pingenda & incrustanda verbis e *Catechesi Lutheri* petitis abutitur *Carolus*, illud ceu viro bono indignum, & luculentum impietatis Pietisticæ specimen merito detestamur. Nec enim improbasse Pædobaptismum potuit, qui eundem, & quoad vixit, in Ecclesia retinuit, & adversus Münzerum, hujusque socios, fortissime defendit. Tantum igitur abest, Lutherum verbis a *Carolo* allegatis Anabaptistarum favisse erroribus, ut ne ad dies quidem complusculos differri lavacrum voluerit. Bienio enim, ante mortem suam, ad *M. Christoph. Fischberum*, Pastorem t. t. Jutrebocensem hanc in sententiam scripsit: *Quantum potest fieri, resistendum est dilationi Baptismi: ne hoc usu exemplum tandem irruat in perpetuum abstinendi. Sic in Italia in multis urbibus magna pars hominum per omnem vitam manent sine Baptismo, dum in pueritia non baptisantur: grandes effecti contemnunt omnia, & moriuntur athei &c.* Vid. Vol. *Epist. Schlüsselb.* p. 2. Quod igitur cum Anabaptistis colluserit Lutherus, id ei, nisi per extremam impudentiam, & impudentem calumniam tribui non potest.

§. LXIII.

§. LXIV. Verum VII.) de MODO etiam administrandi, vel forma Baptismi externa, nonnulla lis oritur. Nam quum his temporibus per *παρτίον*, vel *aspersione*, seu *affusionem aquarum* soleat dispensari, e contrario non desunt, qui *ritum immergendi*, vel tanquam *necessarium* exigant, vel saltem, ceu magis, ad vim Baptismi significandam, idoneum, revocandum in Ecclesiam statuunt. Spenerus olim non dissimulabat, placere sibi *immerfionem*, præ *aspersione*, & optare sese, ut priorem morem Ecclesia retinuisset perpetuo. Vid. *Bedencken P. I. c. 2. Art. 5. Sect. I. qv. 4. p. 134. Sect. II. p. 143.* Horchius coram Senatu Eccles. Marpurgi contendebat: *Wenn man ja die Tauffe nach Christi Einsetzung brauchen wolte, müste die immerfio Platz haben.* Carolus, in Catechismo sæpius citato, urget illa Lutheri: *Es bedeut daß der alte Adam soll erfäufft werden und sterben* &c. ex eoque infert Lutherum ipsum immerfionem probasse.

§. LXV. Nolim autem h.l. prolixè adducere argumenta, quibus ostendam, morem baptisandi per aspersione licitum esse, cum id chartarum angustia non ferat. Sufficit, quod 1.) vocabulum *βαπτίζεν*, & immergere, & aspergere notat, quod posterius patet ex *Luc. XI, 28. & Matth. VII, 4. Conf. Act. II, 4. 2.)* Legimus a Johanne ad Jordanem, inspectante ingenti hominum multitudine baptisatos fuisse & viros, & feminas, *Matth. III, 5. Marc. I, 5. Luc. III, 21. Conf. Act. VIII, 12.* Quis autem credat, feminas nudas mergas fuisse aquis? Adhæc 3.) Johanni baptisanti fuisset descendendum, in flumen, & tantisper in gelida aqua consistendum, donec ingens illa multitudo hominum fuisset tincta, quod nullo modo credibile est. Veteribus 4.) morem baptisandi per aspersione non improbatum fuisse, e *Clinicorum* Baptismo doceri potest. Quod autem 5.) eandem inde a Sec. VII. & VIII. nostris in Ecclesiis perpetuo retinuumus, causa est, quod ab illo tempore pauci fere adulti nostro sese cœtui adjunxerunt, sed collecta Deo fuit Ecclesia ex infantibus per baptismum. Hos autem, præsertim in regionibus ad septentriones sitis, hyberno tempore, nudos, toto corpore, aquis mergere, citra valetudinis infirmandæ periculum fieri non potest. Quem utique metum non inanem vanumque esse, exemplis Tre-

G

mulo-

mulorum ostendi potest, qui olim in Britannia, homines, etiam adultos, aquis mergendo in apertum vitæ periculum conjecerunt, aliquando etiam necarunt. Vid. *H. Reggius, vel G. Hornius de Statu E. Brit. in Panth. p. 229.* Postremo 6.) ritus aspergendi ad efficaciam B. adumbrandam non minus est idoneus, quam immerso. Conf. *T. II. Giff. Disp. XIV. p. 321.*

§. LXVI. FORMULAM, IIX.) qua in conferendo Baptismo uti debeamus, *Dalenius* præscriptam nobis esse negat. in *H. B. p. 355.* Posse enim Baptismum etiam esse validum, in nomine *Trinitatis*, vel *Christi*. Laudat quoque *Vossium Sen.* eadem statuentem, de *Baptismo Disp. II. §. 5.* *Brüskenius* in *L. von der wahren Kinder-Tauffe §. 16. p. 19.* credit: *Johannes, und die Apostel, möchten vor Christi Himmelfarth wohl nur insgemein auff Gott, ohne Benennung dreyer Personen, getaufft haben.* Eademque cum *Dalenio* statuere meminimus *Lombardum, Hardingum, Eccium, Thomam, Valentiam, Swarezium, alios.*

§. LXVII. Etsi vero ipsi persuasum habeamus, quod nihil sit decessurum substantiæ, vel efficaciæ Baptismi, si quis in nomine *s. Trinitatis* tingatur, quum Pater, Filius, & Spiritus S. sint ipsa gloriosa, & SS. Trinitas; tamen quia Christus mandati sui haud dubie graves, & vehementes causas habuit, ob quas voluit singularum personarum nomina exprimi in Baptismo, in sapientissima illius voluntate est acquiescendum, nec a præscripta formula, privato quodam consilio, recedendum. Quod autem Lucas in Actibus memorat, Apostolos baptisasse in nomine Christi, id indicat, *cujus jussu*, non *qua formula*, fuerint baptisati, &, quod in Christi, antea prædicati, fidem adacti, non vero hac præcise formula tincti fuerint. Non magis igitur ad impugnandam præscriptam formulam facit, quam, quod hodie infantes in nomine *Dei* baptisari dicuntur. Unde & *Dalenius* ipse *p. 356.* scribit: *Hæc formula: in nomine Patris, Filii, & Spiritus S. jam fere ab initio post Apostolos, quod alia non scripto compareret, videretur successu temporis assumpta, ac tandem facta fuisse quasi universalis.* Conf. *Disp. de Bapt. in nomine Christi A. XCIV. sub Præsidio Venerandi Coll. nostri Senioris Löscheri a M. Wellero habita, nec non Jesuita Harduinus in Dissert. de eod. argumento.*

§. LXVIII.



§. LXVIII. Dispensatur Baptismus ordinarie, & extra-  
casum necessitatis IX.) a MINISTRO ECCLESIAE legitime  
vocato. Conjunguntur enim hæc duo, διδάσκειν ἢ βαπτίζειν,  
*Matth. XXVIII, 20.* Ad quos igitur ordinarie spectat prædicatio  
Verbi, ad eos etiam ordinarie pertinet dispensatio Baptismi.  
Adhæc Baptismus omnium confessione *μυστήριον* est, & sa-  
cramentum. Ministri vero Ecclesiae, & Pastores, sunt Oeco-  
nomi mysteriorum divinatorum. *1. Cor. IV. 1.* E.

§. LXIX. M. Arnold in der *R. u. R. H. L. II. c. 3. n. 10.*  
ex *Tertulliano* probare conatur, daß im *Sec. II.* das Recht zu tau-  
fen niemand benommen gewesen, und daß, zum Beweis dessen, auch  
noch die Diaconissen ihre Verrichtung dabey gehabt hätten. Nos  
tamen ex historia, nullo negotio docere possumus, quod  
Baptismus ordinarie ab *Episcopis*, & *Presbyteris*, nonnunquam  
etiam *Diaconis*, sit dispensatus. In *Epistola* quadam ad *Smyr-  
nenses*, (quæ rectene, an falso, *Ignatio* tribuatur, jam non di-  
sputo;) antiqua fatis, legitur: *Quod non liceat sine Episcopo  
baptizare.* *Epiphanius Har. LXXIX.* quæ agit de *Collyrid.* cum  
negasset feminis licere, ut baptisent, subjungit: *Ne ipsæ qui-  
dem Diaconis hoc concessum: sed solis Episcopis, & Presbyteris.* Imo  
vero *Tertullianus de Bapt. c. XVII. f. m. 231.* eo ipso loco, quem  
pro se adducit, & cavillando corrumpit *Arnoldus: dandi  
(Baptismum)* inquit, *jus habet summus sacerdos, qui est Episcopus.  
Dehinc Presbyteri, & Diaconi, non tamen sine Episcopi auctoritate.  
Laicis, non, nisi in casu necessitatis, permittit: Sufficiat, in-  
quit, in necessitatibus utaris, (jure baptisandi) scubi aut loci,  
aut temporis, aut persone conditio compellit.*

§. LXX. Quæ loca etfi quid moris fuerit in Ecclesia  
veteri satis perspicue testentur, consentit tamen cum *Ar-  
noldo I. Merckerus, Essenenensis* olim in *Westphalia* Ecclesiastes,  
in seinen *Lehr-Sätzen*, quando scribit: *Tauss- und Nachtmahl  
auspenden kommt nicht allein im Nothfall, sondern auch ordent-  
lich allen Gläubigen zu, dieweil 1.) ein jeder Israelit die Beschneidung  
ordentlich verrichten dörffen, und GOTT es nirgend gewissen Personen  
aufgetragen, 2.) weil GOTT zwar die Tauffe eingesetzt, aber nir-  
gend einer gewissen Ordnung der Menschen aufgetragen, 3.) Lehren  
und predigen vor alle gehöret &c. Vid. Acta Mercker. typis ex-*

*scripta lit. K. 2.* Nullo autem negotio hæc omnia refutantur. Primo enim non licet comparationem circumcissionis, & Baptismi ad singula momenta extendere. Alioqui sequeretur, solos *mares* oportere tingi, ut soli olim mares sunt circumcisi. Baptismum differri oportere per ostiduum, ut olim dilata circumcisio. Deinceps vero in *Dissert. de Libertinismo docendi*, ostendimus, circumcissionem, si non semper, saltem plerumque, a Levitis & Sacerdotibus administratam fuisse. Quod autem Christus nulli certo Ordini Baptismatis administrationem commiserit, prorsus est falsum. Contrarium enim supra ostendimus. Doctrinam denique publicam ad omnes promiscue pertinere, facilius a *Merckero* dicitur, quam probatur. Invertendum est potius argumentum, & dicendum, quod, sicut ad Ministros Ecclesiæ *ordinarie* spectet *to docere*, ita & baptizare.

§. LXXI. Carolus, Osnabrugensis olim Ecclesiastes, qui nunc *Cappellis* in Frisia, moratur, in *Catech. Anti-Pietist. sc. p. 18.* sigillatim contendit, *Man solle keine ungeheiligte Prediger tauffen lassen.* Nempe ut hominis irrogeniti Theologiam veram esse negat, ita & Baptismum. Quod ipsum vero est laqueos injicere conscientiiis. Quo enim, rogo, indicio quis certus esse poterit, Ecclesiasten eo, quo baptisavit, tempore, omnino fuisse regenitum? Hoc pacto nemo unquam de veritate, & efficacia accepti Baptismi, certus esse posset. Cumque hoc tempore *Orthodoxi* omnes a sanctulis pro irrogenitis habentur, sequeretur, hos ab administratione Baptismi, in perpetuum excludi oportere. Quæ quanti periculi sit opinio, facile apparet.

§. LXXII. IX.) De OFFICIO cumprimis Baptismi hoc tempore nec leves, nec pauca controversiæ excitantur. Alii enim cum *Brüskenio*, l. c. docent, non eo illum consilio institutum esse a Deo, ut per eundem regenerentur homines, vel accepta remissione peccatorum recipiantur in foedus gratiæ, sed ut sit *visibile* quoddam *docendi medium*, quibus homines invitentur ad nomen Christo dandum, & serio agendam poenitentiam. Conferri igitur illum posse, & olim a Johanne ac Apostolis reipsa collatum esse, omnibus, qui promi-

mise.

miserint, aut simulaverint, se velle discipulos Christi fieri, etiam si nec tum temporis, nec postea conversi, & de capitibus doctrinæ Christi satis edocti fuerint. Ita enim scribit: in *L. Von der Tauffe* §. 36. p. 51. Die Tauffe kan gegeben werden dem, der von den Geheimnissen der Tauffe noch erst zu unterrichten, und zu lehren ist: dem, der nur vor einen Jünger Jesu angegeben wird, daß er dasselbe werden solle: Dem, der noch kein Kennzeichen der wahren Wiedergeburch von sich sehen lässet: Dem, der den Heil. Geist noch nicht empfangen hat, ja offmahl solchen, die den Heil. Geist nimmermehr empfangen werden &c. Quo pacto, Pædobaptismum omnium fortissime defendi, ac evinci posse, persuasum habet.

§. LXXIII. Nos huic sententiæ illud potissimum opponimus, quod Johannes, qui primus in nomine Christi baptisavit, vox fuit, clamantis in deserto: *parate viam Domino*, & amplexionem de serio agenda pœnitentia, & amplectenda, per fidem in Christum, Dei gratia, Baptismo suo præmisit, *Matth. III, 3*. Prædicavit enim baptismum pœnitentiæ, & remissionis peccatorum *Marc. I, 4*, unde petituri baptismum prius dicuntur peccata sua confessi, quam baptisati *ib. v. 5*, & *Luc. III, 3*. Idem non modo Christum, ceu agnum Dei tollentem peccata mundi, baptisandis monstravit *Jo. I, 23. 30. 34. 36*. sed & ἕτερα πολλὰ παρακαλῶν εὐγγελίστατο τὸν λαὸν *Luc. III, 18*. Johannis morem sunt imitati Apostoli, nec quenquam ex adultis nisi cognitione doctrinæ salutaris imbutum, & ad Dominum conversum admiserunt, quod ex *Act. VIII, 37. X, 34. 47. XVI, 14*. doceri potest. Imo vero Petrus totius Collegii nomine congregatæ multitudini quærenti: factò quid opus esset? respondit: *Pœnitentiam agite, & baptisetur unusquisque Vestrum in remissionem peccatorum Act. II, 38*. Nec ex *Act. XIX, 5*. rerum omnium ignaros baptisatos fuisse, poterit exsculpi, si recte declaretur locus. Quod vero infantes, utut per ætatem doctrinæ incapaces, nihilominus baptisantur, ejus rei quas causas habeamus, supra jam exposuimus. In his enim per Baptismum fides accenditur: in adultis jam accensa per verbum, collato baptismate, confirmatur.

§. LXXIV. Quidam hoc tempore Baptismum non aliter considerandum esse existimant, quam *signum* quoddam,

vel iesseram; qua Christiani ab aliis coetibus discernatur. Cuius opinionis origo *Thoma Münzero*, Anabaptistarum antesignano, debetur, qui docebat: *Des Pabsts Joch sey zu schwer: Luthers zu leicht: Seine Consorten müsten eine neue Tauffe haben*, quo nempe a Pontificiis ac Lutheranis distingverentur. *Vid. B. Figken in Hist. fanat. c. 2. in Panth. P. II. f. 3.* Et ut hæc opinio mirifice probatur fanaticis; sic, per Baptifinum regenerari hominem, pertinacissime negant. *Volckmeyerus in Obs. c. Görzium pro Arnaldo p. 562.* non sine scommate scribit; *Herr Görze schreibt gar orthodox, daß durch die Wasser-Tauffe der Glaube bey einem Kinde angezündet werde*, quod idem de Circumcisione negat. Argentoratenses inter sanctulos *Haugius* de Baptifimo ita statuit: *Das Bad der Wiedergeburt, und Erneuerung, ist der betrogenen Orthodoxen Auffenthalt, daß sie nicht wiedergeboren, und erneuert werden. Betrachtet man ihren Wandel, so solte man schwören, sie hatten den Teufel in der Tauffe angelobet, und Christum verschworen; Sie hätten versprochen den neuen Menschen zu tödten, und den alten zuerwecken.* *Vid. B. Zentgrafii Bericht p. 224. sq.* *Carolus, Ecclesiastes olim Osnabrug. in Catechismo sc. Anti-Pietistico ad quæst: Geschichte denn solche Wiedergeburt und Erneuerung nicht durch das Tauffen selbst? respondet: Solch Wassertauffen NB. bedeutet, daß der alte Adam in Uns soll ersäuft werden, und sterben. Qv: Wenn und NB. wodurch aber soll dieses geschehen? Resp. Durch tägliche Reue und Buße.* Ergo non per Baptifinum. Tam insidiose homo verbis Lutheri, & LL. Symbolicorum, ad propinandum errorem abutitur. *Brüskenius l. c. §. 37. p. 52.* nimium esse statuit, si regeneratio Baptifinam tribuatur. *Dippelius* usitato furore inter *ἑδελύματα* refert: *Man erwege, inquit, was vor Greuel mit der Tauffe getrieben werden: Die soll einem Kinde ein Bad der Wiedergeburt seyn &c.* *Personatus Elias Christianus vom Verfall des heutigen Christenthums p. 42.* Lutherum accusat: *Er habe zuviel gethan, daß er der Tauffe so große Würckung zugeleget habe. Sie sey ein äußerliches Zeichen: in der Schrift siehe kein Wort von der Kraft der Tauffe &c.* *De Rosenbachio, ejusque seductore I. A. Rabio, nec non fanatica femina A. C. Scharckmidia, quæ in L. Von der Wiedergeburt v. 64. in hæc verba pro-*

prorupit: *Es sey eine falsche Meinung, daß die Wiedergeburt allbereit in der Kindheit durch die H. Tauffe vorgegangen, consulantur Auctores der U. N. A. 1706. p. 280. & A. 1705. p. 750. quo loco pessimorum hominum exceptiunculae nervose ac breviter refutantur. Antonius quoque Van Dalen in H. B. p. 380. non obscure improbat doctrinam Veterum, quod per Baptismum obtin-gat Spiritus S. De Tremulis, & Socinistis, quibuscum Fanatici in do-ctrina de Baptismo egregie conspirant, de industria nil addo.*

§. LXXV. Nos illud Servatoris urgemus: *Nisi quis re-natus fuerit ex aqua & Spiritu, non intrabit in regnum caelorum Io. III, 5. & Baptismus conceptis verbis dicitur lavacrum rege-nerationis & renovationis in Spiritu S. Tit. III, 5. Insignis quoque est locus Gal. III, 27. de vi & efficacia Baptismi, quem cum pro regeneratione probanda facere negent h. t. Dippelius, & Volckmeyerus, ipsius Lutheri verbis vindicatum daturifumus: Hic, inquit, locus diligenter est observandus, contra fanaticos Spi-ritus, qui majestatem baptismi impie & scelestè extenuant. Contra hos enim Apostolus Baptismum magnificis titulis ornat, quando illum non modo lavacrum regenerationis desinit, sed etiam omnes baptisa-tos Christum induisse. (Gal. 3.) quasi dicat: Non accepistis per ba-ptismum tesseram tantum, per quam adscripti estis numero Christia-norum, ut nostro tempore multi fanatici ex baptismo tesseram tan-tum, seu nudum & inane signum faciunt, sed quotquot baptisati estis, Christum induistis, id est, estis extra legem rapti in novam nativi-tatem, quæ facta est in Baptismo. Ideo, inquit, non estis amplius sub lege, sed novo indumento, i. e. justitia Christi vestiti estis. Docet ergo Apostolus baptismum non signum, sed indumentum Christi, imo ipsam Christum nostrum indumentum esse. Vid. T. IV. Jen. Lat. f. 114.*

§. LXXVI. Excipit Carolus: Lutherum tamen ipsum in Catechismo statuere, quod homines regenerentur per co-tidianam poenitentiam, non per Baptismum, qui tantum significet regenerationem, non autem efficiat. Sed respon-demus: *Lutherus in Catech. Maj. de re ita statuit: Die Tauffe deutet nicht allein solch neues Leben, sondern würckets auch, hebt an und treibet. Denn darin wird gegeben Gnade, Geist, und Kraft, den alten Menschen zu unterdrücken, daß der neue herfür komme, und starck werde &c. In Catechesi igitur Minore non loquitur de regeneratione, quæ Justificationem antecedit, & in com-muni-*

municatione vitæ spiritualis, vel fidei, consistit; hanc enim non modo significari, sed & effici per Baptismum, ibidem conceptis verbis docet: Sed de renovatione, per cotidianam poenitentiam, quæ utique per ritum immergendi, & emergendi quodammodo adumbratur. Instant hic fanatici, Rosenbachius, Rabijs, Scharfshmidia, reliqui, dicendo: *es sey an den Kindern nichts zu mercken, daß sie wiedergeboren worden, indem sie bey anwachsenden Jahren zu aller Bosheit inclinirten.* Resp. Peccatum in B. tollitur, non ut non adsit, sed ut non imputetur, ac regnet. Uti vero non satis habent parentes genuisse sobolem, sed genitæ simul de adminiculis alendi, fovendi, & sustentandi prospiciunt; ita Deus hominem non modo regenerat in Baptismate, sed renatum quoque per sollicitam parentum educationem, & diligentem in Ecclesia & Schola institutionem in statu gratiæ confirmat. *Eph. IV, 12.*

§. LXXVII. Urget denuo *Völkemeyerus*: Si doceamus infantibus per B. ingenerari fidem, secuturum esse, quod Sacramenta prosint *ex opere operato c. Götzium p. 562.* Quo loco simul *Lutberum* notat, quod hunc nodum Gordium in *der R. N. Dom. III. Epiph.* infeliciter solverit. Nos vero effectum regenerationis Baptismo tribuimus, non tam ob *opus operatum*, quam ob *opus Sp. S. admissum*, & non impeditum. Imo, si residue explicetur, nil obstat, quo minus dicere possimus, Sacramenta efficere aliquid *ex opere operato.* Qua de re *B. Carpzov. in Isag. ad LL. Symbol. p. 1091.* In infantibus, inquit, etiam absque fide operatur Baptismus, atque se habet ut Organon operans, operaturque per modum Operis operati, ut Scholastici loquuntur, istudque *Belarminus L. II. de Sacr. c. 1.* definit, quod non presupponat, neque etiam requirat, bonum motum in Subjecto, sed introducat eum. In infantibus enim Baptismus non excitat fidem, sicut in adultis jam ex verbo eam habentibus, sed primitus operatur. Ut autem Baptismus fidem operetur, non requiritur fides, alias daretur progressus in infinitum.

§. LXXVIII. Ostensa Baptismi efficacia, facile apparet, quid de illius NECESSITATE sit statuendum. Quam, etsi *Pietiste Quedlinburgenses, Horchius, Völkemeyerus, Arnoldus, Dippelius, van Dalen*, aliique plures & impugnarint olim, & etiamnum impugnent, nos tamen ex iis, quæ hucdum disputavimus, satis liquere existimamus.

S. D. G.







Aug VI 49 (1)

ULB Halle

3

001 853 821



5b.

VD 18

VD 17

Retro /



30.  
33a

*2. D. B. V!*  
RECENTIORES  
DE

# BAPTISMATE CONTROVERSIAS,

AVSPICIIS

RECTORIS ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMI,  
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI,

D O M I N I

## FRIDERICI AVGVSTI,

ELECTORATVS SAXON. HEREDIS ETC. ETC.

PRAESIDE

## GOTTLIEB VVERNSDORFIO,

S.S. Theol. Doct. & Prof. Publ. nec non Alumn.  
Saxon. Ephoro,

### PRO LICENTIA

SVM MOS IN THEOLOGIA HONORES CONSEQVENDI,  
IN ACADEMIA VVITTEMBERGENSI,

D. XXVIII. FEBR. c1o 1o cc VIII.

*H. L. 2. C.*  
VENTILABIT

## M. CHRISTIANVS REVTERVS,

Hucdum verbi divini apud Nos Minister, iam vero S.S. Theol. & Metaph.  
in Gymnasio Serveitano Prof. Publ. & ad Aedem S.S.  
Trinitatis Pastor.

---

VITEMBERGAE, LITERIS CHRISTIANI GERDESII.

